AUTHOR:

ROTHSTEIN, MAXIMILIAN

TITLE:

TIBULLI CODICIBUS

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1880]

Master Negative #
91-80153-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rothstein, Maximilian, 1859-
De Tibulli codicibus; dissertatio inauguralis philologica quam... publice defendet scriptor Maximilianus Rothstein... Berolini, Lewent, [1880]
107 p. 21 cm.

Thesis, Berlin, 1880.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/26/91
INITIALS N.T.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202







Centimeter




Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



DE TIBULLI CODICIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXV. M. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCLXXX
PUBLICE DEFENDET
SCRIPTOR

MAXIMILIANUS ROTHSTEIN
BEROLINENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
S. BLASCHKE, DR. PHIL.
M. SCHAEFER, CAND. PROB.
FR. SCHLEE, DR. PHIL.

BEROLINI.
LEWENT'SCHE BUCHDRUCKEREI
LANDSBERGERSTR. 32.

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

traditionem praebere videbantur. Usus autem est primo loco codice Eboracensi (A), anno 1425 scripto, cuius collatio a Nicolao Heinsio confecta ei praesto erat, secundo loco codice Parisiensi (B) anni 1423, cuius scripturas ex Disseni et Huschkii commentariis petiit. Praeterea tres libros recentissimos adhibuit, Wittianum (c), Datanum (d), Askewianum (e), quorum consensum litera C notavit. In exiguam Tibulli carminum partem uti etiam poterat iis lectionibus quas Scaliger e vetustissimo fragmento Cuiaciano (F) excerpserat, neque minus excerpta Tibulliana, quae a Vincentio Bellovacensi et Scaligero petere poterat, adhibuit. Ultimo loco commemorat Francisci Puccii lectiones anno 1502 ad exemplar editionis Regiensis adnotatas (P), quas ex vetusto codice haustas esse veri simile putabat. Facile apparet, neque hoc Lachmannum fugit, his subsidiis certum Tibulli textum constitui non posse, eamque textus formam quam vetustissimam ex solis his testimoniis accurate inter se comparatis et perpensis efficere poterat et re vera effecit a vera poetae manu longe remotam esse. Codices enim quibus usus est omnes iis temporibus scripti sunt quibus docti Itali veterum poetarum textus non fideliter propagare sed e suo ingenio immutare solebant.

Videmus igitur Lachmannum per totum Tibullum usum esse codicibus admodum recentibus, in non nullos autem Tibulli locos e fontibus nostris codicibus multo vetustioribus haurire potuisse. Itaque iis qui post Lachmannum subsidia critica ad Tibulli carmina augere studebant id agendum erat ut aut Lachmanni fundamento servato fontes illos vetustiores accuratius perscrutarentur aut longe vetustioribus et melioribus codicibus allatis totum Lachmannianae editionis fundamentum evertere conarentur. Quorum utrumque factum est. Ac primum quidem non modo fragmenti Cuiaciani et excerptorum quibus Lachmannus usus est lectiones melius et certius nobis notae sunt quam illi esse poterant, sed etiam nova excerpta ex codice Frisingensi in lucem prolata sunt, quibus iam Lachmannus uti voluerat ille quidem sed casu non potuerat. Nuper autem Baehrensius, postquam in libro suo cui inscriptum est „Tibullische Blätter" de codice aliquo Ambrosiano saeculo quarto decimo exarato disseruit, in editione poetae anno 1878 emissa plane novos codices secutus est. Adhibuit enim praeter codicem illum Ambrosianum, quem litera A notavit, codicem Vaticanum

(V) paulo recentiorem, sed tamen, ut iis qui eum inspexerunt videtur, ipsum quoque saeculo quarto decimo scriptum, quorum utroque primus usus est, et codicem Guelferbytanum (G), libris Lachmannianis non vetustiorem, cuius lectiones iam Heynius passim attulerat. Quibus codicibus ita usus est ut duas codicum classes poneret, quarum alteram codicibus A et V, ex quibus omnes Lachmanni ceterorumque libri derivati esse ei videntur, alteram solo codice G effici putat. Cum autem duobus codicum generibus usus sit, quorum alterum Lachmanno non tam bene quam ipsi alterum omnino non notum fuisse putat, totum crisis Tibullianae fundamentum ab illo positum evertisse sibi videtur, et re vera eius editio ab eo textu quem Lachmannus constituit multis locis gravissime discrepat.

Quoniam igitur subsidia quibus nobis in Tibullo utendum est post Lachmannum tantopere aucta sunt, haud inutile duxi totam de Tibulli traditione quaestionem, de qua olim Lachmannus in praefatione suae editionis et in recensione editionis Dissenianae[1]) breviter sed satis perspicue disseruit, denuo tractare, ut appareat quantum nos his novis subsidiis nisi a Lachmanni textu recedere debeamus. Haec autem quaestio mihi ita videtur instituenda esse ut, quoniam omnes nostros codices, et Lachmannianos et Baehrensianos, ad unum archetypum redire certum est, primum quaeratur quae nam auctoritas in universum nostris codicibus tribuenda sit. Quod facillime ex eorum fontium qui nostros codices aetate superant comparatione cognosci posse mihi videtur. Itaque primo capite mihi agendum erit de fragmento Cuiaciano, de excerptis Frisingensibus, denique de iis excerptis quibus iam Lachmannus usus est, quorum lectiones cum nunc e duobus codicibus Parisinis maxime hauriantur, excerpta Parisina vocari solent. Altero capite libros a Lachmanno adhibitos tractabo, tertio Baehrensii codices Ambrosianum et Vaticanum, qui ut sunt inter se artiore vinculo coniuncti, ita facile uno capite de iis disputari poterit. Ultimo loco gravissimam omnium de quibus mihi agendum erit quaestionum tractabo, quae est de Baehrensii codice Guelferbytano, cuius lectiones cum vix biennium sit cum palam factae sunt, tamen iam nunc de iis sententiae prorsus diversae a viris doctis prolatae sunt.

[1]) Kleine Schriften pag. 146.

CAPUT I.

De fontibus nostris libris vetustioribus.

I. De fragmento Cuiaciano.

Dolendum est fragmentum Cuiacianum, quod a versu demum 65 quartae Lygdami elegiae incipit, eam tantum partem carminum sub Tibulli nomine traditorum continere in qua pleraque non ab ipso Tibullo profecta esse constat. Sic enim non modo per eam Tibulli partem quam maxime vellemus quam certissime traditam accipere hoc auxilio caremus, sed etiam de illius fragmenti et ceterorum codicum pretio in carminibus Tibulli arte multo inferioribus minus certo iudicari potest. Accedit quod ne per hanc quidem partem fragmenti illius scripturae nobis satis notae sunt, etsi nunc paulo certiora de iis scimus quam quae Lachmannus scire poterat. Ille enim praeter eas Cuiaciani lectiones quas Scaliger in castigationibus tradiderat non excerptis ab ipso Scaligero ex illo codice factis usus est sed iis quae Heinsius ex illis Scaligeri excerptis in exemplar editionis Aldinae anni 1515 transscripserat. Nunc autem constat ipsum Heinsium excerpta illa sumpsisse ex exemplari editionis Plantinianae, quod exemplar cum adhuc exstet, ipsis Scaligeri excerptis uti licet, quae omnia Baehrensius, cui illud exemplar praesto erat, in apparatu critico exhibuit ipsius Plantinianae lectionibus iis locis ubi Scaliger nihil adnotavit additis. His lectionibus quomodo utendum sit quaerendum est.[1] Si enim Scaliger id egisset ut accuratam fragmenti Cuiaciani collationem institueret, omnes Plantinianae editionis lectiones quibus nihil adscripsit in Cuiaciano quoque sic exstitisse putandae essent. Videmus autem non nullas illius editionis lectiones quibus nihil adscriptum est tam aperte ex Italorum emendatione ortas esse ut Cuiacianum eandem scripturam exhibuisse quovis pignore negari possit. Itaque apparet Scaligerum eas tantum Cuiaciani lectiones adnotasse quae ei maxime animadvertendae esse videbantur. Quod quamquam recte intellexerunt et Muellerus et Baehrensius, tamen haud inutile videtur denuo

[1]) Egerunt de hac re post Franckenum (Verslagen en mededeelingen etc. X, pag. 33 ff.) Hillerus in musei rhenani volumine XXIX, pag. 97—106, Muellerus et Baehrensius in praefationibus.

monere Plantinianae lectiones, quas Baehrensius attulit ne quid dubitationis restaret, ad Cuiaciani lectiones cognoscendas nullius momenti esse.

Iam igitur ad singulas fragmenti lectiones examinandas accedamus, ut certum de eius pretio iudicium facere possimus. Ac primum quidem statim ubi fragmentum incipit in gravissimam inter illud et nostros codices discrepantiam incidimus. Versus enim III, 4, 65 et 66 in Lachmanni codicibus sic leguntur:

Saevus Amor docuit dominae fera verba minantis,
Saevus Amor docuit verbera posse pati.

Sed B priorem versum literis minoribus scripsit, et Puccius suppositicium esse hunc versum tradit, Pontanum autem ex vetusto codice reposuisse:

Flere nec ante pedes pudeat dominamque vocare.

Baehrensii autem codices hunc versum plane omittunt, nisi quod in G secunda manu idem Pontani versus adscriptus est. Iam igitur apparet in communi omnium nostrorum codicum archetypo hunc versum casu excidisse, in apographorum autem parte varia Italorum supplementa tradita esse. Solus autem F hic verum exhibet, in quo hic versus ita legitur:

Saevus Amor docuit validos tentare labores,

qui versus quamquam per se non magis placet quam is quem Lachmanni codices praebent, tamen, quoniam in ceterorum codicum archetypo alius versus antiquitus omnino traditus non erat, quin re vera ab ipso Lygdamo profectus sit dubitari non potest.

Minus facile de altero horum versuum iudicari poterit. In hoc enim Lachmanni librorum scriptura, quam supra secutus sum, non modo Baehrensii codicibus sed etiam excerptorum Frisingensium auctoritate confirmatur. Contra F hunc versum ita scribit:

Saevus Amor docuit verbera saeva pati.

Utra harum scripturarum praeferenda sit confiteor me certo diiudicare non posse. Pro illo „saeva“ proferri potest ad „verbera“ epitheton etsi non desiderari at certe optime apponi potuisse, „saeva“ autem, cum antecedat „saevus Amor“ aptissimum esse, quoniam sic exquisitum aliquod dicendi genus oritur, quod quamquam hic non valde placet, tamen a Lygdamo, qui tales oppositiones rhetoricas amat, profectum esse potest. In alteram autem partem monendum est ne illud „posse“ quidem ab interpolatore ortum esse videri. Hoc enim

„Amor docuit posse pati“ non modo a vulgari sermone longe abest, sed est dicendi genus ipsius Lygdami proprium, cuius exemplum prorsus geminum exstat III, 6, 44:

Felix quicumque dolore
alterius disces posse cavere tuo.[1])

Neque multum discrepat quod legitur 3, 31:

liceat mihi paupere cultu
securo cara conjuge posse frui.[2])

Apparet igitur hoc loco ad iudicium de Cuiaciani auctoritate nos uti non posse. Videmus autem vel ex hoc solo disticho quantopere fragmenti lectiones a ceterorum codicum archetypo discrepent, neque minus hoc ex aliis locis, qui deinde mihi tractandi sunt, apparet.

Ac primum quidem non nulli loci afferendi sunt quibus in F meris scripturae mendis a vero, quod ceteri libri exhibent, aberratum est. Sic in panegyrici versu 55 habet F

Nec valuit lotos captos avertere cursus

pro „coeptos“, quod sine dubio verum est. Similiter versu 60

Nobilis Artacie gelida quos irrigat unda

„erigit“, quod F praebet, mero errore ortum neque ob hanc rem de veritate scripturae a ceteris codicibus traditae dubitandum esse puto. In eiusdem panegyrici versu 97 F praebet „ut“ pro „aut“, 168 „alteram“ pro „alter“, 193 „ausi“ pro „ausim“, cum sequens verbum a litera m incipiat, 198 „sint“ pro „sit“. IV, 2, 23 Lachmannum recte coniecisse puto „multos hoc sumite in annos“, quod si ita se habet, apparet in libri F lectione „haec sumet in annos“ paulo gravius errore peccatum esse quam in ceteris codicibus, qui „hoc sumet“ exhibent. Denique IV, 3, 21 „at“, quod F exhibet, ferri non posse mihi videtur, quia sequens distichon ab eadem vocula „at“ incipit. Itaque illud ex „et“, quod ceteri codices praebent, levissimo errore ortum esse puto.

Paucis igitur locis in libro F scripturae menda depre-

[1]) Hoc loco Dissenus quoque offensus est, qui, cum liceret exempla ex proxime antecedentibus carminibus petere, maluit interpretationem proferre qua utantur qui eam intellegunt.

[2]) Comparari possunt haec cum iis quae Vahlenus collegit in commentationibus in honorem Mommseni pag. 664 ff. Ne a Tibullo quidem hunc usum alienum esse docent exempla a Franckeno l. l. allata I, 9, 20 et I, 6, 12; cetera enim aliena sunt.

hendimus[1]), neque tamen ex hac re concludendum est re vera illum codicem talibus erroribus fere nunquam aut paucis tantum locis inquinatum fuisse. Scaligero enim, cum gravissimas tantum discrepantias adnotaret, lectiones apertis erroribus ortae plerumque omittendae erant. Itaque qua diligentia ille codex scriptus fuerit ex hac quidem re cognoscere non possumus. Aliter autem de coniecturis iudicandum est quae in libro F inveniuntur. Nam si plura in hoc codice ad rectum sensum efficiendum mutata essent, certe non nullae harum emendationum ita comparatae fuissent ut Scaliger eas non omisisset. Equidem autem per totam illam Tibulli partem in quam libri F lectiones traditae sunt unum paulo certius coniecturae in illo codice admissae exemplum inveni. [illegible] elegiae enim IV, 5 versu decimo:

Si modo, cu[illegible] de me cogitat, ille calet

quin „calet“ ab Italis recte coniectum sit non iam dubitatur, in codicibus autem praeter F omnibus verbum illud leviter corruptum est in „valet“. Ex eadem lectione libri F scripturam „volet“ librarii alicuius emendatione ortam esse puto, ut sensus qualiscumque in hunc versum inferretur. Praeterea coniecturae exemplum in libro F non inveni.[2]) Hoc igitur pro certo dici posse puto coniecturis hunc codicem fere caruisse, omnibusque eius lectionibus haud parvam auctoritatem tribuendam esse. Quod magis etiam apparebit, si iam ad singulos eos locos quibus F meliorem quam ceteri libri lectionem exhibet accesserimus. Inveniuntur enim permulti huiusmodi loci, quorum plerique ita comparati sunt ut nisi adhibito codice F aptus sensus neque ab ullo libro praebeatur neque ex codicum lectionibus coniecturis quamvis ingeniosis effici potuisse putandus sit.

III, 4, 80 quod nunc scribitur:

Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse:
felix hoc alium desine velle virum

[1]) Non nullos sed perpaucos locos omisi, quia de iis in sequentibus disputandum erit.

[2]) Plura exempla attulit Baehrensius („Tibullische Blätter“ pag. 63) sed eorum ea quae leguntur III, 4, 66, III, 6, 44, IV, 1, 2 ita comparata sunt ut certum de iis iudicium fieri nequeat, ceteris autem locis, IV, 1, 189, IV, 1, 210, IV, 5, 1 Baehrensius libri F scripturas nullo iure in dubium vocasse videtur, ut suis coniecturis neque necessariis neque semper aptis, quae ceterorum codicum lectionibus nituntur, maiorem probabilitatem conciliaret.

e solo F a Scaligero in castigationibus traditur cum ceteri exhibeant „ac“ pro „hoc“. Idem illud „hoc“ Muretus ex vetusto, ut ait, codice recepit, sed ille videtur suo invento non recte usus esse; „hoc alium“ enim pro „alium quam hunc“ dictum esse putat. Ipse supra in interpunctione secutus sum Salmasii sententiam, qui „hoc“ ita pro ablativo accepit ut „coniugio“ cogitatione adderet. Alii „felix hoc“ pro appositione ad „coniugium“ additum esse putabant, minus apte, ut mihi quidem videtur. Unaquaque autem harum explicationum Baehrensii coniecturae longe praestat, qui in adnotatione „ipse felix: ecce alium desine velle virum“ sibi magis placere dicit.

III, 4, 89 de Scylla „canibus succincta“ solus F habet, ceteri „submixta“.

III, 5, 10 quin recte F tradat „trita venena“, cum ceteri boni „certa“ habeant, dubitari non potest, cum aperte opposita sint inter se venena trita et mortiferi suci.

III, 6, 23 codices nostri exhibent:

Quales his poenas deus hic quantumque minetur,

nisi quod „quantumque“ in non nullis libris in „quantasque“ aut „quaecumque“ mutatum est. Ex hac lectione nemo umquam coniectando assecutus esset Lygdamum hoc loco tam prave inani verborum strepitu ad rem simplicissimam significandam abusum esse ut e libri F scriptura apparet. Scriptum enim est in illo:

Quales his poenas qualis quantusque minetur,

neque de veritate huius testimonii dubitari potest.

Sequitur locus difficillimus, III, 6, 43, qui in excerptis Frisingensibus sic traditur:

Felix quicumque dolore
alterius disces posse cavere tuo.

Codices praeter F exhibent „carere tuo“, F „cavere tuos“. In tractando autem hoc loco proficiscendum est a simili versu Ovidii, ars am. III, 455:

Discite ab alterius vestris timuisse querelis.

Ex hoc loco illud statim apparet, verbo „timuisse“ in Lygdami loco, quem cum eo artissime coniunctum esse dubitari non potest, necessario respondere „cavere“, „carere“ igitur, quod nostri codices exhibent, prorsus reiciendum esse. Priusquam autem pergamus quaerendum est, quae ratio inter Ovidii et Lygdami locum intercedat, i. e. utrum Ovidius hic ceterisque eius modi locis Lygdamum, quod vulgo

putatur, an, quod Baehrensius („Tibullische Blätter“ pag. 39ff.) contendit, Lygdamus Ovidium expresserit. Haec autem quaestio quoniam nunc ad finem perduci non potest[1]), interim, quae est mea sententia, Lygdamum ab Ovidio expressum esse pono, facileque puto eos qui totum illum Ovidii locum non praeoccupata mente cum Lygdami versibus comparaverint mihi concessuros esse Ovidium, ut saepius, maxime in arte amatoria, id egit ut carminum quae vocamus didactica colorem per iocum imitaretur, sic hoc loco Lygdami illis versibus ita usum esse ut quae ille magnificis verbis de amantium doloribus gravissimis praedicat ea servatis illis magnificis verbis ad levissimos dolores fallacium amatorum furtis excitatos transferret. Sed quoniam haec sentiri facilius quam exponi possunt, ne de hac quidem re plura addo. Ipse autem Ovidi locus duobus modis explicari

---

[1]) Baehrensii sententiam multis arrisuram esse puto, non quia satis gravibus argumentis nitatur, sed quoniam per se proniores sumus ad statuendum ex Ovidii, poetae ingeniosissimi, poematis Lygdamum quam ex Lygdamo Ovidium hausisse. Tamen eum non recte iudicasse mihi quidem persuasum est. Gravissimum enim contra suam sententiam argumentum ipse attigit. Cum enim noti illi Lygdami versus (III, 5, 17)

Natalem primo nostrum videre parentes
cum cecidit fato consul uterque pari

cum Ovidii loco

Editus hinc ego sum, nec non ut tempora noris,
cum cecidit fato consul uterque pari

sine dubio cohaereant, cumque ille Ovidii locus exstet in eius Tristibus (IV, 10, 5), quae anno 13 p. Chr. n. edita sunt, necesse est ex Baehrensii sententia Lygdamum illos versus post hunc annum, i. e. minime quinquaginta quatuor annos natum scripsisse. Atqui pergit Lygdamus in eodem carmine post versus supra laudatos ita:

Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis
et modo nata mala vellere poma manu?

Largiamur Baehrensio hos quoque versus ab Ovidio sumptos esse, quamquam ea verba quibus maxime probari hoc Baehrensio videtur ne exstant quidem apud Ovidium, tamen, ut omnia concedamus, credi prorsus non potest vel ineptissimum poetam, si modo mentis compos erat, postquam expressis verbis quinquaginta quatuor annos natum esse se dixit, se cum pomis modo natis comparare potuisse. Praeterea Baehrensium fugisse videtur quod in eodem carmine v. 6 ipse poeta iuvenem se dicit. Itaque hoc carmen multis annis ante Ovidii Tristia edita conscriptum esse pro certo contendi potest. Sane Ovidium Lygdami imitatorem fuisse mihi quoque maxime mirum videtur, sed occurrunt etiam apud huius aetatis poetas multa quae nos nunc explicare non possumus, velut, ut exemplum e proximo petam, ipsa illa carminum sub Tibulli nomine traditorum collectio. Sed debemus in talibus acquiescere neque quae dubitari non possunt futilibus coniecturis tentare.

potest. Poeta antea puellas monuerat esse viros qui specie amoris lucra pudenda peterent, sicque saepius iam puellas a talibus viris, qui non ipsius puellae sed eius vestis amore urerentur, spoliatas esse. Ad haec sine dubio ita pergere potest ut dicat: Discite ab alterius querelis vestris i. e. vestris rebus timere. Sed apparet hanc Ovidiani versus explicationem duriorem esse quam ut hunc politissimum poetam deceat. Nemo enim, si hunc versum legeret, posset „vestris querelis“ non inter se coniungere. Itaque nobis quoque haec verba inter se coniungenda atque, quod solum hoc loco fieri potest, pro dativo accipienda sunt. Sic autem haud levis difficultas oritur, cum „timere alicui rei“ plerumque sit „timere pro aliqua re“, hic autem plane contrarius sensus desideretur. Qua difficultate quamquam offendi et possumus et debemus, tamen mihi non ita magna videtur esse ut elevari nullo modo possit. Cum enim apud Romanos dativi quem vocamus ethici usus latius pateat quam apud nos, „timere alicui rei“ per se nihil aliud est nisi „timere de iis quae ad aliquam rem pertinent“. Itaque potest et timorem de aliqua re servanda et timorem de aliqua re arcenda significare. Sed concedendum est sensum hunc quem dicere possumus negativum, cuius equidem exemplum non inveni, apud Romanos non usitatum esse, neque hoc mero casu fieri, quoniam contrarius sensus ad logicam rationem nobis propior est. Itaque fatendum est Ovidium hoc loco, etsi quid dicere voluerit in aperto est, parum apte locutum esse. Iam si ad Lygdami locum revertimur, apparet ob Ovidiani versus similitudinem reiciendam esse coniecturam Baehrensii, qui hunc locum ita scribit:

Felix quicumque dolore
alterius disces posse cavere tuom,

quod per se ferri posset aptumque sensum efficeret. Idem contra eos dicendum esset si qui „tuos“ e libro F arripere vellent. Acquiescendum est igitur in excerptorum Frisingensium lectione „tuo“. Sic autem apparet eandem difficultatem nasci de qua ad Ovidii locum disputavi, de qua re olim recte monuit Vossius. Nam quod exempli loco afferunt notum illud Plauti „cave malo“, errare mihi videntur, quia illud „malo“ pro ablativo accipio, qui in hac sollemni atque vulgaris sermonis propria verborum coniunctione e prisco sermone pro ablativo cum praepositione „a“ retinebatur. Pro ablativo autem quo minus illud „tuo“ hic quoque accipiamus rursus Ovidiani loci similitudine impedimur. Itaque omnibus accurate perpensis ita censeo Lygdamum primum hoc loco dicendi genere usum esse ad logicam rationem recto sed tamen ambiguo vel potius perverso, Ovidium autem eius imitatione ad eandem pravitatem ductum esse. Quae si recte disputata sunt, apparet hunc locum ex omnibus testibus in solis excerptis Frisingensibus recte traditum esse, in F autem „cavere“ recte scribi, „tuo“ autem mero, ut videtur, scripturae mendo in „tuos“ depravatum esse.

Restat unus e Lygdami carminibus locus quo vera scriptura a solo F servata sit, III, 6, 62, ubi ceteri libri exhibent:

Tu puer et liquidum fortius adde merum,

nisi quod Puccius ex coniectura, ut videtur, „i puer et“ adscripsit. Idem sensus libri F scriptura sine dubio vera „tu puer i“ efficitur.

Sequuntur iam loci non nulli panegyrici. IV, 1, 30 F solus habet:

Nec quaeris quid quaque index sub imagine dicat,

ceteri „quid qua iudex“, quod ne intellegi quidem potest.

IV, 1, 39 F praebet quod sine dubio verum est:

Nam quis te maiora gerit castrisve forove?

ceteri initio versus habent „namque tibi“, „quisque tibi“, „quis tibi nam“, „nam quique tibi“, „nec quisquam“, quarum lectionum ultima tantum rectum sensum praebet neque tamen prae Cuiaciani scriptura placere potest.

IV, 1, 55 gravissimam interpolationem in nostris codicibus deprehendimus. Agit enim poeta illo loco de Ulissis erroribus, tradunt autem nostri libri haec:

Nam Ciconumque manus adversis reppulit armis,
nec valuit cyclops coeptos avertere cursus,
cessit et Aetneae Neptunius incola rupis,
victa Maroneo foedatus lumina Baccho,

quasi cyclops et Aetneae rupis Neptunius incola diversi homines essent. Unice vere autem F scribit:

Nec valuit lotos coeptos avertere cursus.

IV, 1, 70 et 71 duo leviora codicum peccata libro F corriguntur. Tradunt enim illi:

Illum tergeminae nantem confinia mortis
nec Scyllae saevo conterruit impetus orbe,

F autem recte „inter geminae“ et „ore“ exhibet.

IV, 1, 110 Arupinorum nomen in omnibus praeter F codicibus corruptum, in non nullis a manu recentiore restitutum est.

IV, 1, 142 num F recte Arecteorum nomen praebeat per se non est quod dubitemus. Nam in hoc scriptore, qui aperte amat res lectoribus quam minime notas commemorare, nomina quorum praeter illum ipsum locum non exstant nisi tenuissima vestigia offensioni esse non possunt, neque magis mirari debemus quod tale nomen in omnibus ceteris codicibus, qui hic „creteis ardet“ exhibent, corruptum traditur. Cum autem Aracca vel Arecca sit oppidum Susianae, quod cum Gynde flumine optime poterat coniungi, fortasse cum Salmasio „Areccaeis“ lenissima mutatione scribendum est. Neque magis certa cetera sunt in hoc versu. Quaeritur autem maxime utrum hoc versu alia regio significetur quam supra flumine Gynde an eadem. Ac Lachmannus quidem, qui unam his duobus versibus regionem significari putat, hanc huius versus formam effecit:

Aret Arecteis haud una per ostia campis

neque quidquam contra illius sententiam iure proferri posse videtur. Sed ne Baehrensii quidem scriptura displicet, qui Heynium in summa re secutus ita hunc versum exhibet:

Ardet Aractaeis aut unda parum hospita campis,

quod de illarum regionum lacubus bituminatis intellegendum est. Mihi Lachmanni coniectura paulo praestare videtur, sed, quoniam complures insunt in hoc versu quaestiones, quarum nulla ad certum finem perduci potest, pro certo de hac re iudicare non audeo. Illud tantum sine dubitatione affirmari potest minus notum nomen, quod in F aut prorsus recte aut cum exigua depravatione servatur, in ceterorum codicum archetypo gravissima interpolatione corruptum esse, neque aliter de altera discrepantia quae in hoc versu occurrit, „carystia“ in nostris codicibus pro Cuiaciani „perhospita“, quamvis cetera dubia sint, iudicabimus.

IV, 1, 185 F praebet:

Horrea fecundas ad deficientia messis,

ceteri codices „fecundis indeficientia mensis“. Vera est sine dubio ea scriptura in qua propriam adjectivi quod est „fecundus“ significationem retinere licet.

IV, 1, 189 Cuiaciani lectionem

Cum memor ante actos semper dolor admonet annos

neque tam ieiunam esse puto quam Baehrensio videtur

neque si esset, apud hunc scriptorem de eius veritate dubitarem. Ceteri libri habent „accitos“ vel „accitus“, Baehrensius „anticos“ coniecit, quod cur ei magis quam „ante actos“ placeat non video.

IV, 1, 200

Posse Meleteas nec mallem vincere chartas

in F traditur. In ceterorum codicum archetypo „vincere“ in „mittere“ depravatum est, quod videtur minus aptum esse.

IV, 3, 3 F exhibet:

Nec tibi sit duros acuisse in proelia dentes,

ubi „proelia“ sine dubio magis placet quam quod ceteri habent „pectore“ vel „pectora“.

IV, 5, 1 F scribit:

Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit hic mihi sanctus
atque inter festas semper habendus erit.

Ceteri codices initio huius distichi exhibent „est qui te“, quod corruptelae genus quamquam difficile est ad explicandum, tamen non multos puto Baehrensio assensuros esse, qui hac lectione nisus scribendum esse coniecit:

En qui te, Cerinthe dies dedit hic mihi sanctus

e. q. s., qua coniectura venustissima illa verba „qui mihi te dedit“ omni poetico colore privari mihi videntur.

IV, 6, 7

At tu, sancta, fave, neu quis divellat amantes,

quod apparet de Sulpiciae matre dictum esse, sic in Cuiaciano scriptum erat. In ceterorum codicum archetypo videtur „ne nos“ scriptum fuisse, quod cum ab hoc loco alienum esset in apographis non nullis magis etiam depravabatur. In codice Guelferbytano tamen manu secunda vera lectio adnotata est.

IV, 7, 6 F exhibet:

Mea gaudia narret,
dicetur si quis non habuisse sua,

ceteri suam, quod a nostrorum temporum editoribus iure spernitur. Loquitur enim hoc carmine aut Sulpicia aut Tibullus ex Sulpiciae persona, femina autem non potest ita loqui quasi de virorum tantum in puellas amoribus cogitet; sic enim „suam“ necessario accipiendum esset.

IV, 9, 2 F exhibet, quod solum aptum sensum praebet:

Natali Romae iam licet esse tuo,

contra in ceteris aperto errore scribitur:

Natali Romae non sinet (vel „sinit“) esse tuo;

qui locus documento esse potest, quam graviter in nostris libris mero errore (nam de coniectura cogitari non potest), etiam ubi sensus nullam difficultatem praebet peccatum sit.

IV, 11, 5 et 6 F tradit:

At mihi quid prosit morbos evincere, si tu
nostra potes lento pectore ferre mala.

Ceteri libri habent pro „at" „ah", quod ferri non potest, quia antecedens distichon eadem interiectione incipit, et pro „lento" „laeto", quod hic non aptum esse unusquisque sentiet.

IV, 12, 17 et 18 in versibus:

Quid facio demens? Heu heu mea pignora cedo.
Iuravi stulte: proderat iste timor.

„cedo" et „proderat" libro F debentur, cum ceteri levissimis erroribus „credo" et „prodeat" habeant.

Consulto omisi in hac enumeratione non nullos panegyrici locos, quibus verum in Cuiaciano servatum esse puto, sed ad certum iudicium pervenire non potui, quia in hoc carmine quid poeta voluerit saepe certo cognosci omnino non potest.[1]) Neque putabam fore ut magnus fructus perciperetur, si illos locos hic tractassem, quod nisi uberiore disputatione plerumque fieri non potest. Sed restant praeterea non nulli loci haud ita impediti, quibus tamen ex sententiarum connexu utra lectio praeferenda sit diiudicari non possit. Talibus autem locis Cuiaciani auctoritatem pluris aestimandam esse nunc nemo iam negabit. Sic IV, 1, 78 recte faciunt editores quod ex Cuiaciano recipiunt hanc lectionem:

Finis et erroris miseri Phaeacia tellus,

cum tamen ne id quidem quod ceteri boni libri exhibent, „errorum" displiceat. Similiter IV, 1, 161 F habet „igitur", ceteri „ergo", 175 F „ergo ubi praeclaros ierint tua facta

---

[1]) Sic statim in secundo versu utrum „valeant" an „nequeant" praeferendum sit diiudicare non audeo. Fortasse neutrum plane verum sed ex Cuiaciani scriptura leniter immutata scribendum est:

Te, Messala, canam, quamquam me et cognita virtus
terret et infirmae nequeant subsistere vires.

Sed hac emendatione dubito an scriptoris potius inscitia quam librariorum error corrigatur. Neque aliter iudicandum esse mihi videtur de eo quod Vahlenus in textum recepit:

Te, Messala, canam, quamquam tua cognita virtus
terret ne infirmae nequeant subsistere vires,

qua coniectura sane omnis offensionis causa optime tollitur.

triumphos", quod utrum in „cierint" mutandum an ex ceteris libris „poscent" scribendum sit, ex ipsa re diiudicari non potest. Versum IV, 6, 19, ubi F „sis", ceteri „si" habent, commemorare satis habeo, quoniam verba sine dubio corrupta sunt, et de eorum emendatione viri docti dissentiunt.[1])

Iam igitur omnes fere graviores lectiones quae Cuiaciani propriae sunt pertractavimus, vidimus autem non saepe in hoc codice scripturae mendis, numquam fere interpolationibus peccatum esse, contra multos locos in ceteris libris gravissime depravatos in hoc solo codice recte tradi. Itaque Cuiaciani auctoritas maxima apud nos debet esse. Nostros autem libros apparet omni corruptionis genere plenos esse. Neque hoc in eam tantum partem cadere ubi Cuiaciani testimonium nobis praesto est, sed ad totum Tibulli textum necessario pertinere et per se intellegitur neque Lachmannum fugit, qui ita de hac re loquitur: „Sed Scaliger ceteris criticis longe felicior membranam pervetustam et emendatissimam ab Iacobo Cuiacio commodatam accepit, quae nisi ita truncata fuisset ut a III, 4, 65 demum inciperet, in priore horum carminum parte non tanta mendarum multitudo relicta esset.[2]) Errant autem qui ex hac re illud efficiunt, licere sibi Tibulli textum, ubicumque aliquid non omni ex parte placeat, suis commentis inquinare. Qui enim Cuiaciani lectiones accurate perscrutabuntur, multa sine dubio in iis invenient quae viri docti coniectura numquam assecuti essent, multa praeterea quae, nisi Cuiaciani testimonium exstaret, alia ratione mutare facile potuissent aut etiam ex severis artis criticae legibus debuissent. Neque hoc mirum est; nam quo latius in codice aliquo interpolatio grassata est eo minus certe de singulis iudicari potest. Si habemus codicem qui veterem memoriam singulis tantum literis immutatis reddit, saepius possumus leni mutatione tam aptum sensum efficere ut de veritate emendationis dubitari non possit; in

---

[1]) Non recte mihi videntur editores fecisse quod in hoc versu verba „iuveni grata" in dubium vocarunt. Veri simile enim est hoc versu fere idem optari ac versu octavo:

Sed iuveni, quaeso, mutua vincla para.

Itaque suspicari licet Tibullum scripsisse, quod iam Heynius coniecit:

Sit iuveni grata, et veniet cum proximus annus,
hic idem votis, iam vetus, adsit amor.

[2]) Praefatio pag. VII et Kleine Schriften pag. 146. Ipsa Lachmanni verba affero quia qui Baehrensii de hac re in eius libro „Tibullische Blätter" disputationem legunt aliter Lachmannum iudicasse suspicari facile possunt.

interpolata autem traditione, cum ne ea quidem quae nullam offensionem praebent plane certa sint, leniorum coniecturarum probabilitas ea re minuitur quod, an potius totus locus gravius interpolatus sit, certo scire non possumus, graviorum autem mutationum eo quod in locis graviter depravatis multa pari probabilitate plerumque excogitari possunt. Itaque in scriptoribus male traditis ad dubitandum debemus esse proni neque timidi in coniciendo, in textu autem constituendo non liberiores sed cautiores quam apud alios. Ceterum quod supra dixi, non minus quam eam Tibulli partem quae in Cuiaciano exstabat cetera videri depravata esse, hoc aliquatenus imminuere licet, quia in ea Tibullianorum carminum parte quam fragmentum Cuiacianum exhibet pleraque ita comparata sunt ut interpolatione illic in primis locus esset. Nam Lygdami carmina facile poterant librariorum iudicio non semper satisfacere, Sulpiciae epistolae sunt obscurissimae; in panegyricum autem utrumque cadit. Huic rei possumus aliquantum tribuere, neque tamen dubitari potest quin recte Lachmannus ceterique de hac re iudicaverint. Quaerendum autem est num fortasse hoc iudicium iis testibus confirmetur qui omnes Tibulli libros complectuntur.

II. De excerptis Frisingensibus.

Excerpta Frisingensia cum semel commemorata essent a Iano Gebhardo, Lachmannus ea non multum diversa a Scaligeri et Vincentii excerptis esse suspicatus a Doceno quaesivit si quid eius modi Monachii lateret. Respondit ille excerptionem Tibulli esse in quodam codice Frisingensi saeculi undecimi, et promisit se eius apographum Lachmanno missurum esse. Sed cum illud promissum Doceni morte irritum factum esset, Lachmannus emissa demum editione excerpta illa a Thierschio accepit, ipse autem tradidit Disseno, qui in editione sua iis non numquam usus est. Ipse autem Lachmannus postea in Tibulli Disseniani recensione breviter de iis excerptis disputavit.[1]) Iudicat autem illo loco, excerpta Frisingensia exigui ad Tibulli textum constituendum momenti esse, animadvertendum

[1]) Cfr. Lachmanni praefationem pag. VI et illam recensionem (Kleine Schriften pag. 146).

autem in iis esse quod omnes Tibulli libros complectantur, quod singula verba contineant, denique quod a ceteris excerptis longe discrepent. Praeterea addit paucis tantum locis haec excerpta suppetere, ea autem sola omnium poetae verba non consulto immutata praebere. In eandem sententiam uberius disputavit L. Muellerus in Fleckeiseni annalibus anni 1869, pag. 63, ubi codice denuo collato singulas excerptorum lectiones diligenter examinavit summamque iis auctoritatem tribuendam esse demonstravit. Postea idem Muellerus in editione Tibulli pag. VIII plena excerpta tradidit. Minus huc pertinet Protzeni dissertatio „de excerptis Tibullianis“, Gryphiswaldiae 1869, quoniam quae ille ad excerptorum ordinem explicandum satis ingeniose et speciose coniecit, ad quaestionem de excerptorum fide diiudicandam nullius fere momenti sunt, in ipsa autem hac quaestione Muellerum fere sequitur.[1])

Ut de auctoritate horum excerptorum recte iudicari possit, primum nobis de consilio disserendum est, quod eorum auctor secutus est. Atque primum quidem hoc apparet, eum qui excerpta composuit grammaticis rationibus ductum fuisse, neque hoc in singula verba solum cadit quae in excerptis tradita sunt, sed latius patere mihi videtur. Sic verba „statque latus praefixa veru“ (I, 6, 49) ob nullam aliam causam nisi ob rarioris verbi „veru“ usum excerpta esse mihi videntur. Praeterea occurrunt haud pauci loci ob eam causam in excerpta recepti quia praecepta generalia, maxime de hominum moribus, continent. Sic legimus in excerptis:

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte
et pavidas mentes falsa timere iubent (III, 4, 7),
Saepe solent auro multa subesse mala (I, 9, 18).

Animadvertendum autem est auctorem excerptorum in eligendis his sententiis non nimis anxie ea vitasse quae suis temporibus poterant offensioni esse; immo inveniuntur huius modi praecepta:

Celari vult sua furta Venus (I, 2, 34)

et similia non nulla. Postremo exstant in excerptis non nulli

[1]) Aut hac Protzeni dissertatione aut Muelleri editione iis utendum est qui quid in excerptis scriptum fuerit accurate scire volunt. Baehrensius enim non nulla omisit quae ad textus constitutionem nullius momenti sunt; quibus tamen ad excerptorum Frisingensium indolem cognoscendam carere non possumus.

loci quos appareat nulla alia causa nisi ob eorum pulchritudinem excerptos esse, qua in re non numquam ita versatus est excerptor ut poneret quae per se intellegi omnino non possent. Sic e versibus III, 6, 51 et 52:

Ergo quid totiens fallacis verba puellae
conqueror? Ita a me, seria verba, precor

pentametrum, qui per se nullum sensum praebet, tamen solum recepit.

Videmus igitur excerptorem in versibus eligendis varia consilia secutum fuisse, utrum autem sententia aliqua suorum temporum moribus apta esset aut rectus sensus versibus e sententiarum connexu solutis inesset necne omnino non curasse. Itaque multo minus veri simile est eum talia suis interpolationibus efficere studuisse. Ac re vera quam raro hoc factum sit, si excerptorum lectiones perscrutamur, facile potest perspici. Praeter enim non paucos locos (quos hic enarrare supervacaneum puto), quibus mera scripturae menda aut excerptorem ipsum admisisse aut ex codice quo usus est sumpsisse aut denique postea describendo librarios intulisse apparet, nullae fere in excerptis Frisingensibus occurrunt lectiones quibus non aut eadem aut maior quam codicum lectionibus tribuenda sit auctoritas. Itaque Lachmannus et Muellerus interpolationes ab excerptore admissas esse plane negavere. Sed mihi, quamquam certum tradita immutandi consilium ab excerptore afuisse et ipse supra dixi, tamen veri simile videtur uno certe loco, I, 9, 45 sententiae detrimentum quod illum versum, cum ex sententiarum connexu solveretur, capere necesse erat, facili mutatione ab excerptore evitatum esse. Illo enim loco Tibullus postquam exposuit quae puero amato, qui postea auro, ut ait poeta, captus alii amatori magis favere coepit, praestitisset, ex codicum scriptura sic pergit:

Tum miser interii, stulte confisus amari:
nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.

In his verbis quae offensionis causa insit non video. Optime enim poeta non eo tempore interiisse se dicere potest quo pueri perfidiam perspexit, sed iam tum se interitum sibi parasse cum amari se a puero stulte confideret, quod nisi fecisset, eius perfidia non tam acerbo dolore affectus esset. Sed Muellerus haec verba rectum sensum praebere negans ex excerptis Frisingensibus, quae pro „tum“ „o“ scribunt, „a miser interii“ etc. coniecit. Sic sane loqui poterat poeta, sed facile, si illud reponimus, unumquemque sentire puto, quam multo minus apte iam illi versus cum antecedentibus cohaereant. Itaque equidem ita censeo, excerptorem aut fortasse librarium, qui postea excerpta descripsit, illud „tum“, quod, si illi versus per se accipiebantur, ferri non poterat, coniectura mutasse.

Alter locus quem afferre volo num huc pertineat dubitari potest. Versus enim III, 3, 21 et 22 codices sic exhibent:

Non opibus mentes hominum curaeque levantur:
nam Fortuna sua tempora lege gerit,

ubi pro „gerit“ „regit“ scribendum esse apparet. Haec autem verba aperte hoc significant, divitias non sufficere ad beatam vitam efficiendam, quoniam Fortuna in rebus adversis vel secundis distribuendis suas leges sequatur neque divitiis pareat. In excerptis Frisingensibus autem pro „nam“ traditur „nec“, quod coniectura ortum esse mihi videtur. Iis enim qui in fortunae verbo, sive id pro nomine proprio sive pro appellativo accipiebant, de fortunis maxime cogitaverunt, facile poterat pentametro plane contrarium eorum dictum esse videri quae priore versu significata erant. Tali ratiocinatione librarium aliquem commotum esse puto ut negationem in hunc versum inferret. Hoc autem utrum in integro Tibulli exemplari an eo tempore quo excerpta componebantur an denique postea factum sit, diiudicari nullo modo potest.

Exceptis his duobus locis et meris illis erroribus supra commemoratis ceterae quas excerpta exhibent scripturae discrepantiae ita comparatae sunt ut eas iam in eo unde sumpta sunt excerpta Tibulli codice exstitisse contendi possit. Itaque nunc iam de huius codicis natura quaerendum est. Facile autem apparet atque ab omnibus conceditur codicem illum summi pretii fuisse. Praeter enim locum supra tractatum, III, 3, 22, quem iam in hoc codice depravatum fuisse cogitari saltem potest, nullum interpolationis in eo admissae paulo certius exemplum inveni. Contra non pauci, si ad parvum versuum excerptorum numerum respicimus, loci exstant quibus veram lectionem in solis his excerptis traditam esse constet. Hi igitur loci nunc mihi enarrandi sunt; si autem hanc rem exemplis satis comprobavero, inutile erit eos locos afferre quibus, cum codices inter se discrepent, melior scriptura Frisingensium excerp-

torum testimonio confirmetur. Illud tantum dico, nullum fere locum inveniri quo excerpta deteriorem lectionem tueantur.

I, 1, 25 boni codices fere omnes exhibent:

Iam modo non possum contentus vivere parvo
nec semper longae deditus esse viae.

Quae verba cum sic aptum sensum non praebeant, cumque excerptorum Parisinorum scriptura aperte interpolata nihil nos iuvet, hic locus iam dudum coniecturis admodum vexatus est. Quid autem sententiarum connexu postuletur recte vidit Lachmannus, qui „iam modo si possum" coniecit. Inventis deinde excerptis Frisingensibus ab eorum scriptura proficiscendum esse viri docti intellexerunt. Atque Hauptius quidem quod illa exhibent „iam modo iam possim" simpliciter retinuit, ut mihi videtur, recte, sed ei praeter Protzenum nemo assensus est. Ceteri viri docti variis coniecturis hunc locum tentaverunt, de quibus paulo uberius disseram. Ac primum quidem in Vahleni[1]) coniectura:

Iam modo iners possim contentus vivere parvo

singularum sententiarum connexus quem Hauptius et ante eum Lachmannus posuerunt non mutatur. Tibullum autem optime sic scribere potuisse nemo negabit, immo concedendum est sententiam huius loci hac coniectura aliquatenus meliorem fieri. Poeta enim a dis petit ut quiete vivere possit, de quieta autem vita in tradita huius versus scriptura nihil dictum est. Sed hanc difficultatem non ita magnam esse puto; totum enim distichon unam eandemque sententiam efficere mihi videtur: „Modo possim parvo contentus et sine laboribus vivere", sed ita ut secundo membro maior vis insit. Praeterea autem mihi videtur anaphora hoc loco tam apta esse ut casu eam ortam esse veri simile non putem. Tibullus enim de re loquitur quam maxime ei cordi fuisse ex totius carminis natura apparet. Itaque poterat sine dubio de hac re vehementer commotus loqui, velut si nos interpretemur: „Möge es mir nur endlich, endlich vergönnt sein." Alio modo hunc locum emendare studuerunt Schneidewinus et Muellerus, quorum uterque, cum, quod supra monui, pentametrum cum hexametro artissime coniungendum esse

[1]) Monatsberichte der Berliner Academie der Wissenschaften von 1878 pag. 354.

non perspexisset, quietae vitae significationem desideravit ob eamque rem coniecit:

Iam mihi, iam possim contentus vivere parvo.

Quae coniectura a Baehrensio (Tibullische Blätter pag. 68) nuper vano argumento impugnata est, qui eandem quam illi tollere voluerunt difficultatem remanere contendit. Sed in hac quidem re sine dubio falsus est; nam ex Schneidewini et Muelleri coniectura vis totius sententiae necessario in illo „mihi" inest. Ob ipsam autem hanc causam haec coniectura reicienda esse mihi videtur. In anaphora enim ea verba quibus efficitur, hoc igitur loco duplex „iam" graviore ictu premi per se intellegitur. Itaque ea vox quae media inter duplex illud „iam" ponitur non potest non adeo evanescere ut sententiae ictu primario premi nullo modo possit.[1]) Itaque ne haec quidem emendatio placere potest. Baehrensii de hoc loco coniectura cohaeret cum quaestione quae est de versibus in hac elegia transponendis. Quam quaestionem cum absolvere nunc non liceat, illud tantum dico, Haasii, quem ille sequitur, commentum, quod ne ipsum quidem mihi placet, coniectura ab illo in hunc versum prolata etiam depravatum esse mihi videri. Sic enim Baehrensius versus 5, 6, 25, 26 in editione et in libro „Tibullische Blätter" pag. 68 exhibet:

Me mea paupertas vita traducat inerti,
dum meus assiduo luceat igne focus,
dum modo iam possim contentus vivere parvo
nec semper longae deditus esse viae e. q. s.,

hoc est, si secundum versum omittimus: „Liceat mihi vitam pauperem et inertem degere, dum modo vitam pauperem et inertem degere possim." Haec est pulchra illa sententia quam Baehrensius restituisse sibi videtur. Ipse sane locum aliter interpretatur: „Wofern nur jene (die Armut) es mir ermöglicht mit Wenigem zufrieden zu leben", quae fortasse intellegerem, si „contentus" absolute dictum esset, et ablativus qui est „parvo" ad vivendi verbum referri posset, sed parvo contentum vivere per paupertatem non modo licet sed etiam necesse est, itaque quo modo aliquis ut hoc per paupertatem fieri possit a dis possit petere non apparet. Sequamur igitur Hauptium et concedamus genuinam huius

[1]) Idem sensisse videtur Protzenus, qui traditae scripturae verborum collocationem magis favere dicit (pag. 10).

loci formam in omnibus ceteris testibus depravatam a solis excerptis Frisingensibus sine ulla mutatione recte exhiberi.

De ceteris huius rei exemplis breviori esse mihi licet. I, 2, 19 contra codicum lectionem:

Illa docet furtim molli decedere lecto

nihil proferri potest; tamen scripturam multo exquisitiorem praeberi ab excerptis:

Illa docet molli furtim derepere lecto

concedendum est. III, 6, 33 „hei mihi“ vel „ei mihi“ scribendum esse iam ab Italis intellectum est et confirmatur excerptorum Frisingensium testimonio, qui „et“ exhibent, cum ceteri libri a vero longius aberraverint. De loco III, 6, 44 denique, ubi vera scriptura „carere tuo“ in solis excerptis Frisingensibus plena exstat, supra (pag. 8 ff.) satis disputasse mihi videor.

Vidimus igitur non nullas certe optimas lectiones ab excerptis Frisingensibus praeberi, et licet addere plerasque earum ita comparatas esse ut coniectura ortae esse non possint. Itaque, quantum in tam exiguo locorum excerptorum numero videre licet, apparet haec excerpta nos ibi etiam sequi debere ubi ex ipsius loci natura utra lectio melior sit diiudicari non potest. Sic equidem non dubitarem formas „colu“ (I, 3, 86), „Garonna“ (I, 7, 11), „pussula“ (II, 3, 10) ex excerptis recipere, etsi codices habent „colo“, „Garumna“, „pustula“. Nec minus I, 1, 2 cum excerptis scribendum esse puto:

Et teneat culti iugera multa soli,

quamquam codicum plerorumque scriptura „iugera magna“ ipsa fortasse difficultate commendatur. Similiter I, 1, 34 „est“ cum excerptis omittere et I, 2, 19 verborum collocationem ab iis oblatam in textum recipere malim.

Ut igitur concedendum est admodum paucis locis excerptorum testimonio Tibulli textum emendatiorem fieri, ita hoc negari non potest, codicem quo excerptor usus est magis genuinam textus formam praebuisse quam nostros libros. Plura autem de hoc codice scire non possumus. Ut enim supra dixi maxime dolendum esse quod fragmentum Cuiacianum ultimam tantum Tibullianorum carminum partem exhibebat, sic nunc non minus dolendum est quod excerpta Frisingensia eandem partem fere prorsus omittunt. Hoc enim nisi ita se haberet scire fortasse possemus num una per medium aevum divulgata fuerit carminum Tibullianorum

recensio, cuius testes sinceri sint Cuiacianum et excerpta Frisingensia, corrupti nostri codices omnes, an plures recensiones iis temporibus notae fuerint, quique trium illorum testium artiore vinculo inter se coniuncti unam eandemque recensionem exhibeant. Nunc duo tantum loci exstant quibus Cuiaciani et excerptorum lectiones inter se comparare liceat. III, 4, 66, de quo loco supra (pag. 5) disserui, excerpta et codices habent „posse“, Cuiacianum „saeva“; contra III, 6, 44 excerpta in voce „carere“ cum fragmento contra codices, in voce „tuo“ cum codicibus contra fragmentum conspirant. Itaque apparet hanc rem in obscuro relinquendam esse.

III. De excerptis Parisinis.

Altero excerptorum genere primus ad Tibulli textum constituendum usus est Scaliger, qui quas scripturas ex illis adnotaverat eae ab Heinsio in Tibulli exemplar, quo Lachmannus usus est, transscriptae sunt. Multo autem ante Vincentius Bellovacensis, scriptor saeculi tertii decimi, in speculum suum doctrinale Tibulli excerpta receperat, quae cum Scaligeranis fere consentiunt. Ex his fontibus petita sunt quae Lachmannus de hoc excerptorum genere tradit, ac ne nobis quidem multo plura suppetunt, quamquam multo puriores fontes nunc aperti sunt. Sed ea re id effectum est ut de horum excerptorum natura et origine nunc certius constet quam antea. Itaque non nimis vituperandus est Otto Richterus, qui in dissertatione Bonnensi anni 1865 „de Vincentii Bellovacensis excerptis Tibullianis“ ab ipso Vincentio haec excerpta ex integro Tibulli codice sumpta ex eiusque excerptis ea quibus Scaliger usus est ducta esse contendit, quod cogitari nullo modo posse hodie constat, quamquam vel ex iis quae ei tum nota erant rectius iudicare poterat et iudicaverat ante Lachmannus. Praeterea quaenam his excerptis auctoritas tribuenda esset quaesivit, qua in quaestione quamquam in summa re rectam viam ingressus est, tamen in singulis, nimio, ut mihi videtur, tuendae excerptorum auctoritatis studio ductus, non numquam contra rationem peccavit. Non multo autem post Eduardus Woelfflinus codicem Parisinum saeculi tertii decimi invenit, qui excerpta e Tibullo aliisque poetis multis continet, qua de re ipse disputavit simulque excerptorum Tibullianorum cum editione Lipsiensi anni 1855 collationem

publicavit in Philologi volumine XXVII. Hoc novo subsidio usi sunt, qui postea de hac re egerunt, Muellerus et Protzenus in dissertationibus supra commemoratis. Ac Muellerus quidem, qui de auctoritate tantum excerptorum egit, quoniam multa in iis mutata esse vidit, quae res negari nullo modo potest, statim omnem auctoritatem iis abiudicandam esse censuit.[1]) Contra Protzenus in hac quaestione eodem modo quo Richterus errasse mihi videtur. Postremo Gustavus Meynkius alterum codicem Parisinum, eo quo Woelfflinus usus erat paulo etiam vetustiorem et meliorem adhibuit et excerpta Tibulliana quae his codicibus tradita sunt in musei Rhenani volumine XXV accuratissime typis ita repraesentanda curavit ut quibus Tibulli versibus unam sententiam effici voluerit excerptor, quod haud exigui momenti est ad excerptorum naturam cognoscendam, iam facile ex signis in margine codicum additis perspici possit. Omnes autem hi fontes quique praeterea excerptorum codices inventi sunt (sunt autem non pauci) tantopere inter se consentiunt ut quid ipse excerptor scripserit vel ex solis illis Parisinis codicibus plerumque prorsus certe cognosci possit. Itaque recte fecit Baehrensius quod in adnotatione critica horum duorum tantum codicum rationem habuit et illorum quoque potiores tantum lectiones attulit, ac ne mihi quidem aliter rem instituere in animo est.[2])

Quaerendum igitur est quaenam lectionibus ab excerptis oblatis fides tribuenda sit, neque haec quaestio exigui momenti est, quoniam in ducentis sexaginta sex versibus qui in excerptis traduntur plus centum scripturae a codicibus discrepantes occurrunt.

Iam supra dixi excerptorum auctoritatem, quia multae sine dubio in iis mutationes inveniuntur, prorsus spretam esse a Muellero. Qua in re mihi non recte egisse videtur. Quaecumque enim excerptor suo consilio ductus mutavit, tamen necesse est excerpta ex integro Tibulli codice sumpta esse, qui iis qui exstant sine dubio multo vetustior, fortasse etiam melior erat. Itaque iam de illius codicis natura nobis quaerendum est, quod fieri non potest nisi prius quid in

[1]) Postea in editionis praefatione pag. XII, cum eandem sententiam protulisset, addidit tamen non nulla exempla excipienda esse quibus verum sine ulla fraudis suspicione in excerptis traditum esset.

[2]) Baehrensii de excerptorum auctoritate sententiam nunc omitto, quia de ea in quarto demum dissertationis meae capite agi poterit.

illo codice scriptum fuerit quam certissime constitutum erit, quam quaestionem instituit sane Richterus sed non peregit. Hoc autem ut appareat videndum est quibus causis excerptor ad traditam scripturam immutandam adduci potuerit aut re vera adductus sit, i. e. quae consilia in hoc florilegio componendo secutus sit. Qua de re quia video non semper recte iudicari ab iis qui ante me de hac quaestione disputaverunt, omnia autem pertractare longum est, equidem ita agam ut exemplis maxime idoneis allatis singulisque interpolationis generibus constitutis qui cuique generi loci tribuendi sint simpliciter enarrem.

Facile apparet auctorem horum excerptorum fuisse medii aevi monachum, qui in eligendis locis ea in primis spectabat quae ad hominum mores corrigendos maxime idonea ei videbantur. Itaque saepissime in excerptis occurrunt sententiae morales, partim breves, unum versum vel distichon efficientes, partim etiam fusiores. Praeterea recepit non nullos locos qui nihil huius modi continent sed pulchritudine, quae illi videbatur, poetica ei commendabantur, maxime ex panegyrico. In primis ii loci ei placuisse videntur quibus res aliqua poetico colore depingebatur. Huius modi autem loci cum soluti ex sententiarum connexu plerumque intellegi non possent, non nullis versibus tituli loco de qua re ageretur praescripsit. Sic recepit locum I, 3, 59 ff.:

Hic choreae cantusque vigent, passimque vagantes
 dulce sonant tenui gutture carmen aves,
fert casiam non culta seges totosque per agros
 floret odoratis terra benigna rosis.

Apud Tibullum haec verba ad campos Elysios proximo versu commemoratos spectant; per se intellegi omnino non possent nisi excerptor adnotasset: „De loco quietis in inferno“. Addidit autem talia etiam ibi ubi quid significet poeta dubitari non potest. Sic ad verba II, 4, 11, quae in excerptis sic exhibentur:

Nunc et amara dies et noctis amarior umbra est:
 omnia nunc tristi tempora felle madent,

adnotavit: „De nimio dico dolore“, quod fortasse etiam ob eam rem animadvertendum est quod excerptor prima persona utitur, quasi sua, non alius poetae verba afferat. Qua cum re optime consentit quod tradita verba non numquam

e suo ingenio prorsus immutavit. Harum igitur mutationum exempla nunc afferam.

Ac primum quidem locum aliquem integrum exhibeo, quia plura mutationum genera eo illustrari possunt. Versus II, 3, 35—48 in codicibus sic fere leguntur:

Ferrea non Venerem sed praedam saecula laudant:
praeda tamen multis est operata malis.
Praeda feras acies cinxit discordibus armis:
hinc cruor, hinc caedes mors propiorque venit.
Praeda vago iussit geminare pericula ponto,
bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.
Praedator cupit immensos obsistere campos,
ut multa innumera iugera pascat ove;
cui lapis externus curae est, urbisque tumultus
portatur validis mille columna iugis,
claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra
neglegat hibernas piscis adesse minas.
At tibi laeta trahant Samiae convivia testae
fictaque Cumana lubrica terra rota.

Contra in excerptis hi versus sic traditi sunt:

Ferrea non pacem sed praedam saecula laudant:
praeda tamen multis est adoperta malis.
Praeda feras acies cinxit discordibus armis:
hinc cruor, hinc caedes morsque propinqua venit.
Praeda vago iussit geminare pericula ponto,
cum tribuit dubiae bellica rostra rati.
Praedator cupit immensos obsidere campos,
ut multa innumera iugera pascat ove,
claudat et indomitum moles mare, lentus ut intra
neglegat hibernas piscis adesse minas.
At mihi laeta trahant Samiae convivia testae
fictaque Cumana lubrica terra rota.

Primo aspectu apparet admodum graviter versus traditos ab excerptorum scriptura discrepare. Harum autem variarum lectionum tres, „adoperta“ pro „operata“ (v. 36), „morsque propinqua venit“ pro „mors propiorque venit“ (v. 38), „obsidere“, quod sine dubio verum est, pro „obsistere“ iam in excerptoris codice exstitisse mihi veri simile videtur, quas omitto quia nunc de iis tantum locis mihi agendum est quos ab excerptore mutatos esse constat. Statim autem versu 35 quod traditum erat retineri ab excerptore non poterat; mo-

nachum enim de contempto amore queri non decebat. Itaque excerptor uno verbo interpolato totius loci sententiam prorsus immutavit. Scripsit enim:

Ferrea non pacem sed praedam saecula laudant,

quod per se prorsus aptum est. Longe alia causa ductus est excerptor in versu 40 immutando. Ille enim non modo hoc loco sed multis etiam aliis trisyllabas pentametrorum clausulas, quae severis metricae artis legibus, quales Ovidius maxime secutus est, non satisfaciunt, ita delevit ut singulis verbis quam maxime fieri poterat servatis novos pentametros in verbum bisyllabum cadentes ipse faceret et pro Tibulli versibus reponeret, quod aliis locis alio successu factum est. Non nullos autem huius modi versus, quos tam facile ad hanc legem corrigere non poterat, retinuit, ut ne in aliis quidem rebus semper sibi constitit. De iis autem mutationibus quae in ultimis huius loci versibus ab excerptore factae sunt disputari non potest nisi prius universam horum versuum sententiam exposuero. Baehrensium puto non recte fecisse quod post versum 44 graviter interpunxit; sequens enim distichon videtur mihi partem enuntiati relativi efficere quod a pronomine „cui“ incipit. Huic autem pronomini „cui“ i. e. „praedatori“ aperte opposita sunt versu 47 verba „At tibi“. De huius quoque pronominis vi viri docti dubitant; mihi autem dubium non videtur quin hoc pronomen referendum sit ad Cornutum. Quin enim hoc carmen ad Cornutum, cuius nominandi aliter nulla causa fuisset, re vera missum sit dubitari non potest. Itaque quamquam concedo iis qui hodie hunc locum legunt hoc admodum durum videri posse, ipsi Cornuto, qui hoc carmen a poeta missum accepit, quis pronomine illo significaretur dubium esse non poterat. Sic sensus oritur aptissimus: Hoc alii praeferant; tibi nihil aliud opto nisi ut vel cum Samiis testis semper felix sis. Eodem fere modo puto excerptorem hunc locum accepisse, versibus 43 et 44 autem quid significatum esset non intellexisse; quod minime mirum est, cum ne nostris quidem temporibus omnes recte de horum verborum sententia et constructione iudicarint. Hos igitur versus plane omittere maluit. Hoc autem facto sequens distichon non habebat quo referretur; mutavit igitur „claudit“ in „claudat“, ut hi quoque versus ab „ut“ in versu 42 pendere possent; quod sine dubio non recte instituit, quoniam nemo sibi immensos campos optat ut moles mare claudat. Denique „tibi“, quod ut erat in

carmine ad Cornutum misso aptissimum ita per se nullum sensum praebebat, immutavit in „mihi“. Talibus fere rationibus ductus videtur mihi excerptor eam horum versuum formam effecisse quae in excerptis tradita exstat.

Facilius plerumque de iis iudicari potest quae in brevibus sententiis excerptor mutavit. Hoc quoque paucis exemplis illustrabo.

I, 6, 75 Tibullus Deliam his verbis alloquitur:

Nec saevo sis casta metu sed mente fideli;

excerptor quam ob rem „nec“ in „ne“ mutaverit atque mutare debuerit in aperto est.

Versum III, 3, 11.

Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?

quia „nam“, quo illa verba cum antecedentibus cohaerent, simpliciter deleri ob metrum non poterat, gravius immutavit reponens:

Quid prodesse potest pondus mihi divitis auri?

Supra vidimus excerptorem quae contra suae aetatis praecepta moralia pugnare videbantur mutavisse. Sed ea re non contentus non numquam ultro talia praecepta ex Tibulli verbis suis mutationibus effecit, velut II, 1, 13, ubi verba „pura cum veste venite“ in „pura cum mente venite“ mutavit.

Unum denique exemplum affero versuum non immutatorum sed prorsus omissorum. Excerptor versus I, 3, 59—72, quod supra iam dixi, recepit, ea autem verba quibus amatorum praemia describuntur:

At iuvenum series teneris immixta puellis
ludit, et assidue proelia miscet Amor.
Illic est, cuicumque rapax mors venit amanti,
et gerit insigni myrtea serta coma,

haec, inquam, verba prorsus omisit, nimirum ob nullam aliam causam nisi qua ductus supra pro Venere pacem induxit.

Satis multa iam exempla attuli ut quales mutationes in excerptis occurrant perspici possit. Facile autem quatuor mutationum genera inter se discernuntur. Primum non nulli loci necessario immutandi erant cum ex sententiarum connexu solverentur, quia aut certo aliquo verbo cum antecedentibus cohaerebant (hoc cadit in hos locos: I, 2, 87; 3, 83; 6, 75; II, 1, 89; 2, 13; 4, 29 [„praebet-pretiosa“ pro „hic dat-et Coa“];

III, 3, 11; 6, 45 [„ne“ pro „nec“]; IV, 1, 28 [„quamvis“ pro „nam quamquam“]) aut quia nisi ex sententiarum connexu intellegi omni ex parte non poterant (I, 9, 3; 9, 51 [„sit procul a nobis“ pro „tu procul hinc absis“]; II, 1, 29; 3, 47; 6, 19; III, 4, 19; 5, 12; 5, 15; 6, 44 [„didicit-suum“ pro „disces tuo“]), quorum locorum plerisque prorsus novae sententiae, in primis praecepta generalia, effectae sunt. Secundum genus ii loci efficiunt qui non tam necessario quam ex excerptoris libidine interpolati sunt, aut ob rationes morales (II, 1, 13; 3, 35; III, 3, 32) aut secundum leges metricas (I, 1, 50; 5, 62; II, 1, 8; 3, 40; 6, 20; IV, 1, 28 [„superent praeconia gentis“ pro „gentis superant tibi laudes“]; 1, 31). Tertio loco eae mutationes commemorandae sunt quibus opus erat si aut in longiore excerpto non nulli versus omissi erant aut duo loci in excerptis se excipientes ab excerptore in unam sententiam coniungebantur (I, 1, 25; 1, 37; 1, 47; 8, 43—46; II, 3, 45; III, 3, 29; 6, 13). Ultimo generi tribuendi sunt versus plane omissi, aut quia ab excerptore non intellegebantur (II, 3, 43—44; III, 3, 14—15; IV, 1, 30) aut quia contra praecepta moralia vel pluribus dis nominatis contra religionem christianam peccare videbantur (I, 1, 10—24; 1, 35—36; 1, 45—47; 3, 63—66; III, 3, 22—28; 6, 14—15)[1]).

Unumquemque locum uni generi adnumeravi, quamquam non semper excerptoris consilium plane perspici potest, quia non numquam duas res una mutatione assecutus est. Neque singula ita magni momenti sunt; equidem id maxime egi ut quae excerptori mutandi causae fuisse possent appareret. Ii autem loci quos ab excerptore interpolatos esse constat non plus quam tertiam fere partem omnium quibus excerptorum et codicum scripturae inter se discrepant efficiunt. Restant igitur satis multi, de quibus nunc quaerendum est. Ipsum autem interpolatorem praeter ea quae supra enumeravi non multa mutasse puto. Illi enim licebat iis quae non intellegebat omnino non uti, sicut etiam in iis locis quos plenos recepit non nulla omisit. Contra non idem licebat librariis qui aut integrum Tibulli textum aut excerpta propagaverunt, quibus omnia quae tradita in-

[1]) Certa mutationum genera discernere conatus est etiam Richterus, qui de multis locis sine dubio rectius iudicasset si ei excerpta Parisina tam accurate cognita fuissent quam nobis nunc Meynkii opera cognita sunt.

veniebant describenda erant. Scripturae autem menda quamquam etiam ipse excerptor admittere poterat, tamen apparet iis locis quos ab ipso excerptore ad florilegii usum mutatos non esse constat aut certe veri simile est non minorem auctoritatem excerptorum lectionibus tribuendam esse quam si integro Tibulli codice traditae essent. Etiamsi enim concedendum est non nullas harum lectionum sine dubio post compositum demum florilegium ortas esse, tamen inter has depravationes et eas quibus omnes codices inquinati sunt nihil interest. Contra partem harum lectionum iam in eo codice e quo excerpta sumpta sunt exstitisse vel ex eo quod cum aliis testibus velut excerptis Frisingensibus consentiunt vel ex aliis causis certo concludi potest. Itaque nunc iam ita agam quasi de codicis alicuius auctoritate quaererem. Dignam autem esse hanc quaestionem in quam accurate inquiratur facile apparet, cum praeter excerptoris mutationes septuaginta fere loci restent quibus excerpta aliam quam codices lectionem exhibeant. Percensebo igitur quam brevissime primum meros errores, deinde eos locos quibus excerptorum lectio coniectura orta esse mihi videtur (omissis scilicet ipsius excerptoris mutationibus, quas supra tractavi), tum eos quibus vera lectio in excerptis tradita esse mihi videtur, postremo eos de quibus certo iudicari non poterit. Quoniam autem ne nunc quidem omnia tractari possunt, de paucis tantum locis paulo uberiorem disputationem addam.

De erroribus in excerptis admissis disputanti mihi praemonendum est eos tantum locos huc pertinere quibus in nostrorum codicum archetypo non eodem modo erratum esse aut constat aut veri simile est. Occurrunt autem huius modi loci satis multi [1]), quorum pauci accuratiore tractatione digni sunt. Bis (I, 2, 84 et I, 9, 25) disticha ob sequentis distichi simile initium omissa sunt, similique modo erratum est in panegyrici versibus 39—47, in quibus librarius, cum ab initio versus 39 ad versum 45 aberravisset, versus 45—47 exaravit, postea autem versus 39—44 inseruit. Miro errore I, 10, 8 „merum“ pro „dapes“ scriptum est. Num autem de mero errore cogitandum sit dubitari potest I, 1, 49, ubi excerptorum scriptura:

[1]) I, 1, 7; 1, 49; 2, 84—85; 2, 95; 5, 60 (cfr. Baehrensii praefationem pag. XXVI extr.); 5, 70 (ubi in altero tantum excerptorum codice perperam „sors“, in utroque „cito“ vel „cibo“ scriptum est); 9, 25—26; 10, 8; 10, 40; II, 1, 39; IV, 1, 39—47; 1, 39; 1, 43; 1, 87; 1, 98; 1, 103.

Sit dives, r u r e furorem
qui maris et caeli nubila ferre potest

sensu non caret: Mihi is vere dives esse videatur qui rure vitam degens tempestatibus non vexatur. Itaque non est mirum quod Heinsio haec scriptura Scaligeri coniectura esse visa est. Sed quoniam literis a tradita scriptura non multum abhorret, veri similius mihi videtur mero errore literas i et r inter se mutatas esse.

Interpolationes non ab ipso excerptore profectae decem locis occurrere mihi videntur, de quibus quoniam vario modo iudicatur, nunc singulos proponam.

I, 1, 6 excerpta habent:

Dum meus exiguo luceat igne focus,

codices pro „exiguo“ „assiduo“, quod quin verum sit ex sententiarum connexu dubitari non potest, quamquam non nulli viri docti aliter iudicaverunt. Interpolatori autem recte suspicatur Muellerus id offensioni fuisse quod in versu tertio eodem verbo poeta usus est.

Versus I, 1, 43 non indignus est de quo paulo accuratius disputetur. Ibi enim Tibullus sine dubio scripsit:

Parva seges satis est, satis est requiescere lecto
si licet et solito membra levare toro,

sed praeter illud „si licet“ et in codicibus et in excerptis in „scilicet“ depravatum maximae turbae ortae sunt in codicibus repetito „satis est“, quod cum alii librarii simpliciter omitterent alii suis commentis plenum versum efficere studuerunt. Prorsus eodem modo orta esse mihi videtur excerptorum scriptura:

Parva seges satis est, uno requiescere lecto

e. q. s. Hanc lectionem nuper defendit Protzenus miro, ut mihi quidem videtur, iudicio, qui de Deliae amore cogitare poetam putat, quod, cum Delia usque ad hunc versum ne verbo quidem significata sit, nemo intellexisset. Tamen idem interpolatorem quoque sensisse veri simile est, quoniam aliter qua re ad hoc verbum inserendum commotus esset intellegi non posset. Quae si recte disputata sunt, illud quoque perspici potest, hanc interpolationem neque ab excerptore profectam esse, qui cum sequens distichon ob dominae commemorationem omiserit, non potuit hic eius mentionem inferre, neque ab iis qui excerpta tantum noverant,

quoniam ex illis de Deliae amore nihil omnino scire poterant. Itaque nihil aliud restat nisi hanc interpolationem iam in eo codice quo excerptor usus est exstitisse, qua ex re apparet quam non recte fecerit Muellerus quod omnes scripturas excerptis proprias pro excerptoris coniecturis habendas esse censuit.

I, 4, 36 in codicum nostrorum archetypo scriptum erat:

Formae non illam fata dedere moram,

quo cum librarius iure offenderetur, cumque „non ullam" latine dici posse non meminisset, facile adduci potuit ut graviore mutatione sensum efficeret seribens:

Sed formae nullam fata dedere moram.

I, 5, 61 mihi in repetito „praesto" non videtur offendendum esse. Tamen cum illud librario alicui, ut multis nostrae aetatis viris doctis offensioni fuerit, in excerptis pro altero „praesto" „semper" positum est.

I, 8, 14 non dubito quin recte in libris traditum sit:

Ansaque compressos colligit arta pedes.

Cum autem colligendi verbum ne ab Italis quidem recte intellectum esse constet, mirandum non est quod in excerptis lenissima mutatione „colligat" scriptum est, quod, cum ambigue dictum sit, multo minus aptum esse recte contendunt Riglerus eumque secutus Baehrensius (praef. pag. XV).

I, 10, 5 in excerptis ab homine qui verba tradita „an nihil ille miser meruit?" non recte intellexit interpolatum esse, quod magis perspicuum est: „Forsan et ille nihil meruit" ab omnibus conceditur.

II, 3, 36 codices recte exhibere mihi videntur:

Praeda tamen multis est operata malis,

quod quamquam non usitatum dicendi genus est, tamen aptis exemplis satis illustrari potest. Valde autem miror non nullorum virorum doctorum iudicium, quibus magis placuit excerptorum scriptura „adoperta malis". Sane sic instituisset Tibullus comparationem poeticam, sed, ut mihi quidem videtur, prorsus ieiunam et ineptam. Quam non aptum sit hoc verbum, facillime fortasse ex comparatione exemplorum adhibitorum (I, 1, 70 et I, 9, 44) sentiri potest, ubi puella amato puero adoperta venire et Mortis caput tenebris adopertum esse prorsus apte dicitur. Accedit quod in sequentibus ea mala enarrantur quae praeda effecit i. e. quibus operata est. Itaque non dubito quin pro verbo minus usitato illud „adoperta" coniectura positum sit.[1])

III, 6, 33 nunc scribitur:

Hei mihi, difficile est imitari gaudia falsa,

quod ex traditis „et mihi" in excerptis Frisingensibus et „si mihi" in libris coniectura inventum est. Ne in excerptoris quidem codice videtur verum traditum fuisse; sic enim facillime explicatur quod excerpta ex aperta coniectura „heu quam difficile est" e. q. s. exhibent.

IV, 1, 40 excerptorum scriptura ita optime a Muellero explicata est ut librarium aliquem „hic" non pro adverbio sed pro nominativo accepisse et ob sequens verbum „laus" femininum „haec" restituisse poneret.

IV, 1, 46 inepte qui panegyricum composuit locutus est, quod dixit neminem alium civilem seditionem sedare posse (addendum enim erat „tam bene"), quamquam quin ille sic locutus sit dubitari non potest. Ex simili autem iudicio ortum esse videtur quod excerpta exhibent „nemo magis sedare queat", quod ob correptum o in „nemo", ne ferri quidem posse recte vidit Muellerus, si quidem iure panegyrici auctor Augusti aetate vixisse putatur.

Iam mihi ii loci afferendi sunt quibus verum in excerptis traditum esse puto. Quorum cum multi ita comparati sint ut coniectura verum facile inveniri potuerit, tamen restant haud pauci quibus hoc praefracte negandum esse mihi videatur. Coniecturae fortasse tribuendum est quod excerpta I, 1, 2 exhibent „iugera multa" cum excerptis Frisingensibus, cum codices habeant „iugera magna", quod fortasse defendi potest, nec minus I, 1, 5 „vita inerti" rursus cum excerptis Frisingensibus pro „vitae inerti". I, 1, 29 singularis „bidentem" recte mihi videtur a Baehrensio in textum receptus esse. Poetica enim oratio eo pulchrior est quo magis certam aliquam imaginem animo proponere possumus; quod si hoc quoque loco facimus, pluralis non aptus est, quia sine dubio unum tantum bidentem Tibullus eodem tempore tenuit. Itaque pluralis in universum potius dictus esset. Sed facile

---

[1]) Idem verbum fraudi fuit librariis II, 5, 95, ubi pro
Tunc operata deo pubes discumbet in herba
Lachmanni B et Baehrensii Ambrosianus et Vaticanus exhibent „tunc et operta."

singularis coniectura reponi poterat. Eodem modo iudicandum est de „aurea“ pro „antea“ (II, 1, 45), „ingerit“ pro „ingerat“ (II, 1, 49), „Indis“ pro „undis“ (II, 2, 15), „obsidere“ pro „obsistere“ (II, 3, 41), „invidia est“ pro „invida quae“ (III, 3, 20), „regit“ pro „gerit“ (III, 3, 22), „prece“ pro „fide“ (III, 6, 46)[1]), „ut“ pro „in“ (IV, 1, 102), „dexter uti“ pro „dexteraque ut“ (IV, 1, 104).

Venio iam ad eos locos quibus verum quod in excerptis exstat coniectura ortum esse non est veri simile. Tenendum autem est agi de codicibus saeculi duodecimi aut tertii decimi, quo tempore nondum eadem qua postea doctrina in coniectando utebantur. Itaque fortasse non nulla etiam eorum quae coniectura inveniri potuisse supra dixi huc pertinent.

Ac primum quidem I, 9, 23 plerique viri docti excerpta secuti sunt, in quibus hi versus sic leguntur:

Nec tibi celandi spes est peccare paranti:
est deus occultos qui vetat esse dolos.

Neque possunt sane huic loco aptiora inveniri. Poeta enim hoc loco narrat, quam saepe Marathum monuerit, iis qui divitiis capti amorem violassent asperam esse Venerem; neque spem esse peccata celandi; esse enim deum qui variis modis talia peccata in publicum proferret. Hic sane est sensus egregius, neque quisquam in eo offendisset nisi dubitationem movissent codices, qui hunc locum ita exhibent:

Nec tibi celan*ti* *fas sit* peccare paranti:
Sit deus occultos qui vet*e*t esse dolos.

Quod cum rectum sensum non praebeat, iis qui omnem excerptis auctoritatem quovis pretio abiudicant aut, quae Muelleri sententia fuisse videtur, concedendum est verum ab excerptore coniectura inventum esse, aut alia emendationis via ingredienda est, quod fecit Baehrensius. Ille enim in adnotatione critica fore dicit qui emendationem ab excerptore non satis feliciter perfectam esse putent. Sed quibus ab ipso Baehrensio felicius perfecta esse videatur non multos futuros esse confido. Proponit enim duas simul emendationes, quas quoniam ne ipse quidem in textum recipere ausus est redarguere nolo. Id tantum contra utramque coniecturam moneo, illud „nec tibi celandi fas sit“ prorsus contra

[1]) De hoc loco hic vulgarem sententiam secutus sum, a qua diversam in quarto capite proferam.

latinitatem coniectum esse mihi videri, quoniam primum verbi celandi, quod huius enuntiati subiectum esset, hac forma hic uti omnino non potuit poeta; deinde substantivi quod est „fas“ vim in se perfectam atque absolutam esse puto, cui genitivus obiectivus, qui eius notionem certis finibus circumscribat, addi omnino non possit. Sed mihi non opus esse videtur ad huius modi coniecturas refugere; neque enim dubito quin aptiora ex codicum scriptura elici possint, velut scribere poterat fortasse Tibullus:

Nec tibi celanti fas sit peccare: Parant*em*
s*c*it deus occultos qui vet*a*t esse dolos.

„Noli putare te deorum numen non laedere si clam dis pecces; nihil enim celando proficies, cum ne consilia quidem scelerum dis ignota sint, nedum ipsa scelera.“ Hac fortasse coniectura uti poterunt qui prorsus nullam auctoritatem excerptis tribuunt; mihi aliter videtur. Cum enim nulla re cogamur ut potuisse verum in excerptis etiam contra codices servari praefracte negemus, non video quam ob rem eam lectionem quae non modo per se aptissima est sed etiam proximorum versuum sententia unice commendatur mutationibus admodum gravibus illatam esse statuamus. Itaque non dubito hunc locum inter eos referre quibus verum sine ulla interpolationis suspicione ab excerptis praebetur.

II, 4, 11 et 12 in versibus:

Nunc et amara dies et noctis amarior umbra est:
omnia nam tristi tempora felle madent

quam languide illud „nam“ dictum sit non fugit Italos neque potest quemquam fugere, quamquam si solum traditum esset, e Tibulli loquendi more ferri fortasse posset. Illi reposuerunt „iam“, quod perquam aptum est; sed praestare etiam mihi videtur quod excerpta exhibent „omnia nunc tristi“ e. q. s., quae mihi tam exquisita lectio videtur esse ut eam coniectura ortam esse saltem non sit veri simile.

III, 6, 44, quem locum iam saepius attigi, excerpta Parisina cum Frisingensibus et fragmento Cuiaciano exhibent „cavere“, codices perperam „carere“. Ne hic quidem de coniectura cogitandum esse mihi videtur.

IV, 1, 39 cum in codicum nostrorum archetypo sine dubio scriptum fuerit

Nam quis te maiora gerit cartisve forove?,

in excerptis autem exstet „castrisve forove“, quin hoc verum sit dubitari non potest. Tamen cum Messalam etiam literis operam dedisse constet, in codicum scriptura nisi qui intente singula perscrutabatur offendere non poterat. Itaque hoc quoque loco sinceram excerptorum traditionem agnosco.

IV, 1, 96 non modo excerpta sed etiam fragmentum Cuiacianum exhibent:

Sive hac sive illac veniat gravis impetus hastae,

in codicibus autem scriptum est „grandis venit impetus hastae“, quod quoniam non minus ferri posset, coniecturam in excerptis admissam esse non est veri simile.

Dubitanter de duobus locis, III, 5, 16 et III, 6, 45 loquor, quibus excerptorum et codicum lectiones per se aeque bonae sunt, excerpta autem consentiunt cum Ovidii horum locorum imitatione (ars am. II, 670 et III, 445). Casu in excerptis eodem modo erratum esse quo Ovidius a suo exemplo recessit credi non potest. Itaque aut statuendum est a librario aliquo excerpta vel codicem quo excerptor usus est secundum Ovidii illos versus correctum esse, aut, quod mihi veri similius videtur, excerpta verum retinuisse, quod etiam Ovidius invenerat, in codicibus autem errore illud verum depravatum esse.

Videmus igitur non nullos certe locos exstare quibus excerpta verum simpliciter retinuerint, quod in codicibus depravatum est; occurrunt autem non minus exempla prorsus contraria. Itaque apparet singulis locis auctoritate nihil diiudicari posse, ibique ubi ne ratione quidem ad certum iudicium perveniri potest veram lectionem in incerto relinquendam esse. Huius generis loci occurrunt non pauci, sed plerumque ita ut quos testes sequamur non multum intersit. Primus huius modi locus occurrit I, 1, 48:

Quam iuvat immites ventos audire cubantem
et dominam tenero detinuisse sinu,
aut gelidas hibernus aquas cum fuderit auster,
securum somnos imbre iuvante sequi.

Hoc loco editores plerique ex excerptis et uno alterove codice receperunt „imbre iuvante“, quod Dissenus de voluptate dictum esse putat quam is qui tutus ab imbre est percipit. Sed non video cur in talem sententiam minus bene quadret optimorum codicum scriptura „igne iuvante“. Poeta enim cum non modo de aquis sed de gelidis aquis locutus sit, domi iuxta ignem dormiens non modo ab imbre sed etiam a frigore tutus est, quod non minus ei potest gaudio esse. Dubito autem num ipsa Disseni sententia admitti possit; quo modo enim is qui dormit imbre aut igne iuvari potest? Itaque alii ea re verbum iuvandi explicaverunt quod imbre cadente facilius homines somnum capiunt. Negari hoc non potest, sed certe non minus bene ignis crepitu somnus efficitur; itaque ne ex hac quidem sententia de vera versus forma certum iudicium fieri potest. Sed ne haec quidem sententia omni ex parte placet; dubitari enim potest num verbum iuvandi de hac re apte dici possit. Itaque Baehrensio assentior, qui hoc quoque verbum in dubium vocavit, quamquam illud recte traditum esse tam certo non negaverim. Sin autem sic censemus multa conici possunt. Atque Baehrensius quidem coniecit „imbre sonante“, non minus autem ferri potest „igne crepante“, neque dubito quin alia inveniri possint. Itaque omnia de hoc loco incerta esse mihi videntur.

Ceteros locos ubi quid scribendum sit perspici non possit commemorare satis habeo. Sunt autem versus I, 1, 78; 2, 89; 3, 68; 8, 9; 8, 10; 10, 37; 10, 46; 10, 49; II, 3, 38; III, 6, 7; 6, 35—36; IV, 1, 87; 1, 88; 1, 91; 1, 98—99 („veniant“ et „parent“).

Iam igitur si omissis excerptoris interpolationibus excerptorum Parisinorum auctoritatem cum codicum fide comparamus, apparet neutrum horum testium ita comparatum esse ut sine dubitatione praeferendus sit. Itaque ex hac disputatione ad quaestionem de nostrorum codicum pretio, quae mihi eius instituendae causa fuit, non multum redundat; neque enim habemus, ut in fragmento Cuiaciano, satis magnum numerum lectionum fideliter traditarum, ad quarum comparationem codices vocemus. Ne illud quidem certo diiudicari potest, quanam affinitate excerpta cum codicibus coniuncta sint, sed satis diversa traditionis genera his testibus repraesentari ex magno lectionum discrepantium numero veri simile est. Pro certo autem id tantum contendi potest, eum codicem quo ipse excerptor usus est non esse nostrorum codicum fontem, quoniam semel saltem, I, 1, 43, in eo interpolationem exstitisse demonstrari potest, ubi codices verum exhibent, quod coniectura inveniri non facile poterat. Ne illud quidem indagare mihi contigit, quod ad Tibulliani textus traditionem perspiciendam non

exigui momenti esset, num inter omnes qui exstant testes duo artiore affinitate inter se coniuncti essent. Diiudicari hoc pro certo ita tantum posset ut inter eos locos ubi praeter codices et excerpta Parisina aut fragmentum Cuiacianum aut excerpta Frisingensia exstant invenirentur exempla quibus duo testes in falsa lectione, quam eodem errore bis ortam esse aut coniectura in uno teste corrigi potuisse non esset veri simile, contra tertium conspirarent. Talia autem exempla non inveni. Frisingensia quidem excerpta, si levissima menda omittimus, decem locis varie traditis suppetunt quibus Parisinorum quoque lectionibus non ab excerptore interpolatis uti liceat, quorum septem[1]) duo testes contra tertium verum exhibent, bis[2]) antiquitus aperti errores traditi fuisse videntur, qui in uno teste emendati sunt, semel[3]) vera lectio in duobus testibus facili errore depravata est. Paulo aliter se res habet in fragmento Cuiaciano. Ibi enim sex qui huc pertinent locis omnibus verum duo testes contra tertium praebent, semel[4]) excerpta et codices contra fragmentum, in quo leviter erratum est, semel[5]) codices et fragmentum contra excerpta, quater[6]) autem excerpta et fragmentum contra codices. Itaque negari non potest, quantum ex tam parvo exemplorum numero perspicere licet, excerpta cum fragmento magis consentire quam cum codicibus; hoc autem num vera affinitate explicandum sit an eo quod excerpta ad fragmenti vetustatem propius accedunt, diiudicari non potest. Sed utcumque hoc se habet, auctoritas excerptorum hac re aliquanto augetur. Quae cum ita se habeant, recte iudicasse mihi videtur Baehrensius (praef. pag. XX), historiam Tibulliani textus ultra nostrorum codicum archetypum persequi nos non posse.

---

1) I, 1, 2; 1, 5; 1, 6; 5, 70; III, 3, 22; 6, 33; 6, 44.
2) III, 3, 22; 3, 34.
3) I, 3, 86.
4) IV, 1, 97.
5) IV, 1, 39.
6) III, 6, 44; IV, 1, 96; 1, 102; 1, 104.

CAPUT II.

De Lachmanni codicibus.

Lachmannum iam supra dixi tribus usum esse codicibus, Eboracensi (A), cuius lectiones ex collatione huius codicis cum exemplari editionis Mureti a Nicolao Heinsio confecta noverat, Parisino (B), tertio loco tribus codicibus, Wittiano (c), Datano (d), Askewiano (e), quorum consensum litera C significavit, singulis nihil fidei esse dicit. Itaque iis ibi tantum utendum est ubi quid in eorum archetypo traditum fuerit perspici potest; discrepantibus inter se eorum lectionibus, quas Lachmannus nullo alio, ut ipse dicit, consilio, nisi ne exempla depravatorum librorum deessent adnotavit, pro testimonio utendum numquam est, neque operae pretium est eas persequi. Neque enim modo erroribus et interpolationibus foedissime in iis peccatum est, sed singuli ex aliis quoque fontibus hauserunt. Atque in universum quidem dici potest c propius accedere ad librum A, d ad librum B vel potius ad Baehrensii codices A et V, qui cum B artius cohaerent, in e autem fidelius certe quam in ceteris archetypi lectiones servatas esse.

Pauca praeterea praemonenda sunt de codice A. Qui ubi duas lectiones exhibet, quarum altera vocula „vel“ inducitur, secunda illa nihili facienda est sed sumpta est ex aliis codicibus neque raro consentit cum libris B aut C. Praeterea Lachmannus non nullis huius codicis lectionibus dubitationis signum apposuit, quod quo consilio fecerit in aperto est. Heinsium enim in excerpendis codicis lectionibus semper prorsus accurate versatum esse sciri non potest. Atqui ex causis postea afferendis apparebit iis locis quibus A codex a librorum B et C consensu discrepat hos duos codices id exhibere quod in archetypo scriptum erat. Omnibus igitur iis locis ubi in A verum traditur, in B et C autem erratum est, a codicis A scriptore verum coniectura inventum esse putandum est. Cum autem horum locorum plerisque Mureti editio veram lectionem exhibeat, non numquam minus veri simile est codicis A scriptorem coniectura verum invenisse quam Heinsium lectionem codicis A cum ceteris libris consentientem, a suo autem exemplari discrepantem non adnotasse. Accedunt non nulli etiam loci quibus A ex Heinsii collatione non verum

exhibet, sed in falsa aliqua lectione cum Mureti editione conspirat, a ceteris codicibus ita recedit ut eadem dubitatio moveatur. Videtur autem mihi Lachmannus multis praeterea locis idem signum ponere potuisse. Exceptis enim levissimis erroribus, ubicumque in B et C erratum est, verum autem et in Mureti editione legitur et in codice A traditum fuisse ex Heinsii collatione putandum esset, me de hac re dubitare confiteor. Praeterea duobus huius generis locis ipsum Lachmannum in adnotandis codicis A lectionibus errasse vidi, quod qui Heinsii illam collationem inspexerit non mirabitur. I, 6, 46 in Lachmanni apparatu critico in codice A traditur fuisse „non amens", quod in Mureti editione legitur; fugit enim Lachmannum ab Heinsio hoc loco pro codicis A lectione exhiberi „non et amans", quod in B quoque traditum est. Altero loco, I, 9, 48, codicis lectioni a se traditae, quae cum Mureti editione consentit, Lachmannus ipse dubitationis signum apposuit; fugit autem eum hic quoque Heinsii adnotatio, qua „et me" in A ut in B et C fuisse traditur.[1])

His praemissis iam ad rationem quae inter hos codices intercedit examinandam accedo. Quod mihi optime sic institui videtur ut singulae scripturae uniuscuiusque horum codicum propriae tractentur quae in prima primi libri elegia, qua exempli loco utor, occurrunt. Hoc puto ad rem diiudicandam sufficere, addere autem possum eam sententiam quae ex huius elegiae lectionibus efficitur ceteris carminibus prorsus confirmari. Pauci autem illi loci qui contra facere videntur singuli mihi tractandi erunt.

---

[1]) Guilelmus Wagnerus in musei Rhenani volumine XXI, pag. 134 frustra hunc codicem a se Eboraci quaesitum esse neque umquam in huius urbis bibliotheca fuisse narrat petitque ab iis quibus collationis Heinsianae inspiciendae copia sit, ut tradant num ab Heinsio quo loco hunc codicem inspexerit indicetur. Heinsii de his rebus verba plena fere expressa sunt in Broukhusii editione pag. 410. Etsi autem expressis verbis nihil de hac re dicit, tamen eum hunc codicem ex ipsius archiepiscopi Eboracensis bibliotheca accepisse dubitari non potest. Quinque enim codicum quos Heinsius excerpsit duobus prioribus, quos alio tempore cum alia editione contulit, usum se esse narrat in bibliotheca Bodleiana, quo eos dono missos esse ab archiepiscopo Cantuariensi. De ceteris autem tribus codicibus cum nihil aliud dicat nisi quod eos codices archiepiscopi Eboracensis appellat, videntur illi tum temporis in illius bibliotheca fuisse. Itaque codex A, nisi postea ab Eboracensi archiepiscopo, ut alter ille archiepiscopus fecit, bibliothecae alicui Britannicae, fortasse eidem Bodleianae, dono missus est, inveniri non facile poterit.

In codice A errore scribitur v. 24 „clamat" pro „clamet", 43 „parva satis mensa est" pro „parva seges satis est". Falsa coniectura ortum esse mihi videtur v. 45 „audisse" pro „audire", quia sequenti versu infinitivo perfecti poeta usus est. In illo autem versu A solus recte scribit „detinuisse", ceteri „continuisse", quod ab hoc loco alienum esse facile perspici poterat, neque difficile erat quid Tibullus scripserit vel scribere potuerit intellegere. Tenendum enim est omnes Lachmanni codices iis temporibus exaratos esse quibus literarum Romanarum scientia per Italiam admodum divulgata erat. Praeterea A exhibet 66 „nec" pro „non", 71 „neque" pro „nec", quibus de discrepantiis certo iudicari non potest.

In B errore scriptum est v. 20 „munera nostra" pro „munera vestra", 64 „iuncta" pro „vincta". Versibus 59 et 60 cum miro errore in ceteris codicibus scriptum sit:

Et spectem suprema mihi cum venerit hora,
et teneam moriens deficiente manu,

in codice B utrumque „et" facili coniectura mutari poterat in „te". In ceteris lectionibus quibus B ab A et C discrepat, „neu" pro „nec" (v. 37), ubi excerpta quoque Parisina contra B faciunt, et „despiciam dites" pro „dites despiciam" (v. 78) utrum verum sit diiudicari e re ipsa non potest.

Inter eas lectiones quibus codex C a libris A et B dissentit pauca meri erroris exempla occurrunt. Sic mihi videtur v. 70 „venerit" ex „veniet", sequenti versu „licebit" ex „decebit" ortum esse. Contra saepius huius libri scriptor eo modo peccavit ut falsis coniecturis textum depravaret. Sic v. 25 „iam modo non possum", quod sensu carere intellexit, mutavit in „iam modo nunc possum", quod etsi ne ipsum quidem rectum sensum praebet, tamen non ita accurate rem tractanti hac coniectura locus emendari videri poterat. Nec minus infeliciter coniectum est v. 48 „levante" pro „iuvante". Quae cum ita sint, non dubitabimus iis locis ubi A B et C paris pretii lectiones offerunt, A et B autem codicum lectio paulo difficilior est, C libri scripturam interpolationis loco habere. Huc pertinent „de" pro „e" v. 37 et „capite" pro „capiti" v. 72. Idem autem statuendum esse veri simile est ubi leviores codicum A et B errores in C non occurrunt. Sic habent A et B v. 19 „felices quondam nunc pauperis agri", C recte „felicis", 54 A et B „exiles", C „hostiles". Restat praeterea unus locus, v. 12, ubi A et B habent „florida", C

„florea“, utrum autem verum sit nisi ex auctoritate utriusque lectionis diiudicari non potest.

Inter omnes igitur huius elegiae discrepantes scripturas nullum occurrit exemplum quo vera lectio, quae coniectura non facile effici potuerit, in uno horum codicum servata sit. Non licet hanc rem per omnia carmina persequi; sed, quod iam dixi, idem quod de prima elegia iudicavi in totum Tibulli textum cadit. Iam igitur videndum est quid ex hac re de codicum affinitate concludi possit. Necesse est hos tres codices, quamvis multa intercedant apographa, redire ad commune archetypum, ex quo si ita derivati essent ut eorum duo ex eodem apographo originem ducerent, duas tantum traditionis classes haberemus, alteram in illis duobus, alteram in tertio codice. Itaque occurrerent non nulli certe loci quibus verum in altera classe, duobus codicibus repraesentata, ita depravatum esset ut coniectura non ita facile sanari posset, quibus tamen tertius codex verum exhiberet. Tales loci quoniam non inveniuntur in Tibullo, hoc certo negari potest, duos horum codicum artiore vinculo inter se coniunctos esse. Ex hac autem re id pro certo sequitur, iis locis quibus duae lectiones in codicibus traditae sunt, quarum utra vera sit per se diiudicari non potest, eam praeferendam esse quae duorum codicum consensu nititur, eas autem lectiones quae ab uno codice contra ceterorum consensum praebentur, etiam si verae sunt, tamen pro virorum doctorum coniecturis habendas esse.

Non tam fuse de his legibus per se satis perspicuis disputassem, nisi vidissem etiam Lachmannum quique post eum Tibullum ediderunt, ab iis non numquam ob causas, ut mihi videtur, non satis graves recessisse. Itaque postea de non nullis locis disputabo quibus de ea re aliter quam illis visum est iudicandum esse mihi videtur. Nunc autem, ne quid dubitationis restet, omnes eos locos, excepta prima elegia, enumerabo quibus verum ab uno codice contra ceteros exhibeatur, ut num inveniantur loci quibus aliter quam feci de codicum affinitate sentire cogamur ab unoquoque facile iudicari possit. Pauca commemoratione non digna omitto.

I.

B C	A
I, 2, 3 percussum tempora	perfusum tempora [1])
I, 4, 55 post	mox [2])

B C	A
I, 5, 76 nam	nat
I, 6, 84 quod sit acerba monet	quam sit a. m. [3])
I, 8, 1 non ego celare possum	non e. celari p. [3])
I, 8, 49 torques	torque [4])
I, 9, 81 dum	tum [3])
I, 10, 23 ipsa ferebat	ipse ferebat
II, 1, 45 antea	aurea
II, 1, 89 tacitis	tacitus [1])
II, 2, 19 quae et maneant	quae maneant
II, 5, 11 tibi debitus augur	tibi deditus augur [1])
II, 5, 18 quos (quod) canat	quid canat [3])
II, 5, 20 captos-Lares	raptos-Lares
II, 5, 68 grata quod admonuit	grataque quod monuit [5])
II, 5, 69 quodque	quasque [1])
II, 5, 71 cometem	cometen [1])
II, 5, 76 annis (amnis)	annus [6])
II, 5, 99 exstruat	exstruet
III, 3, 7 sociarent	sociarem [1])
III, 4, 50 quidque	quodque [1])
III, 4, 96 impia ferre notos	irrita ferre notos [1])
III, 5, 13 meditantis	meditantes [1])
III, 6, 51 qui totiens-conqueror	quid totiens-conqueror [3])
IV, 1, 39 cartisve forove	castrisve forove [1])
IV, 1, 68 undis	umbris [1])
IV, 6, 10 cuidam	cuiquam
IV, 10, 1 mihi	tibi
IV, 12, 1 ne tibi sit	ne tibi sim [7])
IV, 12, 2 ac videar (videas)	videor [7])

1) His locis dubitari potest de codicis A scriptura ob causam supra (pag. 39 ff.) commemoratam quod Heinsius nihil adnotat.

2) Hic non satis constat quid scriptum fuerit in codice C. Facit enim c cum A, d e cum B. Itaque mihi veri simile videtur hoc loco ab iis qui libros d et e exaraverunt alios codices adhibitos esse.

3) His codicis A lectionibus iam Lachmannus dubitationis signum addidit.

4) Eodem modo peccatum esse videtur in B et C; verum enim est „neu torque“, quod in archetypo depravatum erat in „seu torque“. Hoc retinuit A, cum B et C hac facillima mutatione rectam verborum structuram efficere conarentur.

5) In archetypo videntur duae lectiones traditae fuisse.

6) „Annis“, quod a prima manu e exhibet, videtur in archetypo fuisse.

7) Hoc carmen bis traditum est, priore loco post carmen III, 6. In primo versu prior locus ex posteriore in A correctus est, in secundo posterior ex priore.

II.

A C	B
I, 2, 69 argento contextus	argento contectus[1])
I, 6, 11 nunc	tunc
I, 6, 38 detrecto	detracto[2])
I, 7, 35 sopores	sapores
I, 8, 2 levia verba	lenia verba
I, 8, 14 arte	arcta[3])
II, 1, 22 ingerat	ingeret
II, 6, 17 mihi dura precari	mihi dira precari
III, 6, 30 facta tua	fata tua
IV, 11, 4 sic	si[4])
IV, 12, 1 (posteriore loco) tam	iam[5])
IV, 13, 3 tu modo solo places	tu mihi sola places

1) Editores praeferunt „contextus“, sed mihi alterum videtur aptius esse. Sane intellegi potest „contextus“; dictum enim esset de homine qui auro et argento vestibus intexto adeo obrutus est ut paene homo non iam sit sed vestis itaque ipse contextus argento et auro dici possit. Sed mihi videtur talis hyperbole ab huius loci natura, quo simpliciter magnae divitiae bello paratae describuntur, aliena esse. Itaque coniecturae sine dubio in B admissae assentiendum esse censeo. Coniectura autem quin illud „contectus“ ortum sit eo minus dubitari potest quod verborum quoque collocatio ob nullam idoneam causam in B mutata est.

2) Facile poterat minus usitata forma in duobus codicibus depravari, in tertio recte servari.

3) Hoc quoque loco in A et C videtur eodem modo erratum esse.

4) Secutus sum hoc loco editorum sententiam, qui „sic“ non dubitanter scribunt itaque rectum sensum efficiunt: Mihi ipsi salus mea cordi non est, nisi tibi quoque eam cordi esse scio. Sed dubito an fortasse etiam „sic“ retineri

possit, quod si facimus „non aliter“ interpretandum est „in demselben Masse“: Quo minus mihi certum est tibi meam salutem cordi esse, tanto minus ipsa salva esse cupio“. Utrumque dicendi genus paulo durius est sed non alienum a more Sulpiciae.

5) Cfr. I. adn. 7.

III.

A B	C
I, 5, 16 creme (circum)	triviae[1])
I, 6, 46 amans	amens
I, 8, 29 munera ne poscas	munera nec poscas[2])
II, 5, 70 perlueritque	pertuleritque
II, 5, 98 stabit et ipse calix	stabit et ante calix[3])
III, 1, 11 protexit	praetexat
III, 3, 24 et	at
III, 4, 63 illi	illis[4])
III, 5, 11 sacrilegos	sacrilegis[5])
IV, 1, 26 movemus	vovemus[6])
IV, 1, 37 quis potius	quis potior
IV, 1, 55 non	nec
IV, 1, 60 Artacre (Artaere)	Artacie
IV, 1, 108 Iapygiae	Iapydiae[7])
IV, 1, 127 ulla nec	nulla nec[8])
IV, 1, 174 exsurgitat	exsurgunt
IV, 2, 24 thoro	choro
IV, 13, 8 ipse	ille
IV, 13, 17 mea pignora credo	mea pignora cedo[9])

1) Hoc loco verum quod erat in archetypo, in A et B, cum non intellegeretur, depravatum est, in A ita ut certum aliquod verbum evaderet, in B ita ut literarum ductus depingerentur. Nihil enim fere illud „creme“ discrepat a „triviae“, si reputamus in archetypo sine dubio fuisse „trivie“, vi autem et m non fere diversa esse inter se, denique t et c cum semper tum in huius archetypi apographis saepissime permutata esse.

2) Hoc loco Baehrensius fortasse recte „ne“ retinuit.

3) Hoc quoque loco Baehrensius „ipse“ retinuit, sed, ut mihi videtur, non recte.

4) Pluralem in archetypo fuisse ex Baehrensii codicum A et V scriptura iisque quae postea de his codicibus dis-

putabo apparet. Est autem pluralis etiam per se patior, quoniam in universum de mulierum moribus agitur. Tamen singularis facili errore a duobus hominibus scribi poterat, quoniam initio versus dictum est: „Sed flecti poterit“.

5) Scribendum est „sacrilegi“. „Sacrilegos“ in duobus codicibus ita ortum est ut, cum in archetypo usitato errore inepta sententia tradita esset, uterque librarius sanum sensum efficere conaretur.

6) Hoc loco ut fortasse etiam aliis eorum quos hic attuli de eo quod in codice A erat ob causam saepius commemoratam dubitare licet.

7) „Iapygiae“ est nomen notissimum, quod facile mero errore bis in hunc locum inferri poterat.

8) Hoc loco sine dubio in A et B eadem emendatio facta est, neque vituperandi sunt librarii, quod mirabile hoc dicendi genus non ferebant. Sed tuetur hunc locum simile exemplum in versu 164, quo impedimur etiam quo minus eam explicationem praeferamus quae cadere videtur in Propertii locum a Broukhusio aliisque laudatum II, 19, 5, ut „nec“ sequenti „nec quadrupes“ res ondeat. Diversa sunt quae occurrunt in ipso Tibullo IV, 7, 8 et in eodem Propertii carmine II, 19, 32.

9) Fortasse afferre etiam poteram versum IV, 6, 7, ubi F recte exhibet „neu quis divellat amantes“, A et B scribunt „ne nos“, C autem multo propius ad verum accedit exhibens „neve id“. Hoc nisi casu factum est, fortasse suspicari licet hoc loco utramque lectionem in archetypo traditam fuisse, quarum alteram C alteram A et B secuti sint.

Nullus horum locorum ita comparatus est ut eo de veritate eius sententiae quam supra de codicum affinitate protuli dubitare cogamur. Iam igitur venio ad eos locos de quibus ob hanc ipsam sententiam aliter iudicandum esse censeo quam editores plerique iudicaverunt.

I, 1, 78 per se nihil interesse mihi videtur utrum cum codicibus A et C scribamus:

Ego composito securus acervo
dites despiciam despiciamque famem

an cum solo B inverso ordine „despiciam dites“, sed praestat eam verborum collocationem recipere quae maiore auctoritate nititur.

Versus I, 3, 27 ff. in codicibus A et C sic scribuntur:

Nunc dea, nunc succurre mihi (nam posse mederi

picta docet templis multa tabella tuis),
et mea votivas persolvens Delia poenas
ante sacras lino tecta fores sedeat e. q. s.

Haec verba sic prorsus aptum sensum praebere mihi videntur: „Succurre mihi, et hoc si praestiteris, Delia tibi gratias aget.“ Tamen editores e codice B receperunt „ut mea“ etc., quod mihi excogitatum esse videtur ut haec disticha paulo facilius, non melius, inter se cohaereant.

I, 5, 57 nihil interest utrum cum A et C „eveniet“ an cum B „evenient“ scribamus; praeferendum igitur est id quod maiorem auctoritatem habet. Hoc loco ut non nullis aliis qui hic mihi tractandi sunt consentio cum Baehrensio, quamquam ille non semper iisdem argumentis ductus est.

I, 8, 30 quod codices A et B scribunt:

Det munera canus amator
ut foveat molli frigida membra sinu

neque per se offensionem praebet et potest optime illustrari versu Catulliano LXVIII, 29. Tamen plerique editores maluerunt codicem A sequi, qui „foveas“ exhibet.

I, 8,35 vulgo e codice C scribitur:

At Venus inveniet puero succumbere furtim.

Recte autem videtur Baehrensius ex suis codicibus, quibuscum Lachmanni A et B consentiunt, „concumbere“ recepisse, quod eo ipso quod minus usitatum est, quamquam non caret exemplis, commendatur.

I, 8, 66 iam Lachmannus videtur dubitasse num recte e solo C scripsisset:

Illius credo tunc sonuisse pedem;

A et B enim habent „pedes“, quod non minus aptum est.

I, 8, 73 Baehrensius recte reposuit quod est in B et C:

Saepe etiam lacrimas fertur risisse dolentis

cum ceteri editores „lacrimis“, quod est in codice A, praetulerint.

I, 9, 31 in codicibus B et C traditum est:

Tunc mihi iurabas nullo tibi divitis auri
pondere, non gemmis, vendere velle fidem.

Quae cum aperte corrupta sint, primus Aldus, recte, ut mihi videtur, pro „tibi“ reposuit „te“, quod est etiam in Baehrensii Guelferbytano, Lachmannus autem ex solo A recepit „nullius divitis auri“, quod etsi non minus aptum est tamen auctoritate carere mihi videtur.

III, 1, 21 codices A et B exhibent:

Sed primum meritam larga donate salute,

quod quamquam ne mihi quidem valde placet tamen Lygdamo sine ulla dubitatione tribui potest. Simul autem apparet quam facile librarius potuerit hoc verbo offendi idque mutare in „longa“, quod exhibet C et plerique in textum receperunt.

IV, 1, 27 A et C scribunt:

Omne vovemus
hoc tibi, ne tanto careat mihi nomine carta,

quod quo minus recipiamus eo quod B pro „ne“ „nec“ exhibet impediri non debemus.

IV, 5, 11 non video quam ob rem a plerisque viris doctis coniunctivo:

Quod si forte alios iam nunc suspiret amores,

quem A et B exhibent indicativus in solo C traditus praeferatur; immo mihi videtur coniunctivus paulo aptior etiam esse. Qui enim paulo attentius hoc carmen perleget eum fugere non potest Tibullum hic insigni arte puellae affectus depingere, quae Cerinthi erga se amorem multo minus ardentem esse quam ipsius erga illum suspicatur illa quidem sed fateri veretur. Quod maxime apparet ex extrema carminis parte, neque audiendi sunt Dissenus et Gruppius[1]), qui ex illis versibus re vera timidiorem fuisse iuvenem efficiunt. Sic si recte Sulpiciae mentem accipimus, apparet coniunctivum, quo idem dubitantius dicitur, paulo aptiorem esse.

IV, 13, 3 verborum collocatio, quam exhibent A et C „nec te iam praeter“, fortasse ferri potest; sin minus, verum a librario inveniri facile poterat.

IV, 13, 15 scribunt editores:

Haec tibi sancta tuae Junonis numina iuro.

„Haec“ in nullo Lachmanni codice traditum est, secutus autem ille est in hac re codicis A lectionem „nec“, quae saepissime ex „haec“ orta est. B et C autem exhibent „hoc“, quod quo iure spernatur non video. Nulla enim re impedimur quo minus hoc verbo id tantum significari putemus quod proximo disticho dictum est:

Nunc licet e caelo mittatur amica Tibullo,
mittetur frustra, deficietque Venus.

---

[1]) „Die römische Elegie“ I, pag. 36.

CAPUT III.

De Baehrensii codicibus Ambrosiano et Vaticano.

In antecedentibus saepius Baehrensii coniecturae mihi commemorandae erant, quibus verum inventum esse plerumque negavi, atque hoc in universum profitendum est, valde mihi displicere totum illud coniectandi genus quo ille vir doctus usus est. Multa enim ille tentavit quae iustam offensionis causam non praebent, multa coniecit quae ne poterat quidem scribere poeta, earum autem eius emendationum quae tolerari possunt pleraeque tam incertae sunt ut in criticae editionis textum recipi non debuerint. Multo magis laudare licet egregium eiusdem viri docti studium quod ille in investigandis vetustioribus Tibulli libris posuit. Cum enim Lachmannianorum codicum duo annis 1423 et 1425 scripti sint, tertius, de quo nihil constat, postea etiam exaratus esse videatur, ne horum autem quidem codicum lectiones semper satis certe cognitae sint, Baehrensio primo contigit ut duos saltem vetustiores fontes aperiret, codices Ambrosianum et Vaticanum, quorum alter fuerat Coluccii Salutati et a Baehrensio circa annum 1374 scriptus esse putatur, alter iis qui eius lectiones excerpserunt exeunte eodem saeculo quarto decimo exaratus esse visus est. Neque hoc parvi aestimandum est; hi enim codices quin textum minus corruptum quam Lachmanni libri praebeant dubitari non potest. Tamen in hac quoque re multo melius de Baehrensii meritis iudicari posset, nisi ipse eo quod suis inventis multo plus quam debebat tribuit effecisset ut recte aestimantibus plura de eius quae ipse putat meritis demenda quam ei relinquenda essent. Si enim eam opinionem tenuisset quam ipse in libro suo „Tibullische Blätter“ professus est quo tempore solum Ambrosianum invenerat, hoc codice secundam Lachmannianorum codicum classem multo melius repraesentari quam illius codice B[1]), omnes facile possent

---

[1]) „Tibullische Blätter“ pag 61: „Ebenso sind auch die anderen Lesarten des Ambrosianus durchaus Vertrauen erweckend. Aber freilich darf man nicht glauben, dass er nun allein genügt, um uns den Archetypus zu ersetzen. Von diesem sind offenbar mehrere Abschriften gemacht worden, die dann wiederum vervielfältigt die verschiedenen Klassen unserer jungen Handschriften erzeugten. Der Ambrosianus ist nun der Stammvater einer dieser Klassen; aus ihm ist (durch mehrere Mittelglieder)

ei assentiri; nunc autem, cum liceret Lachmanni apparatum in hac saltem re meliorem reddere, eo quod sine idoneis causis omnes Lachmanni codices e suis derivatos esse posuit ob eamque sententiam etiam A et C Lachmanni codices prorsus neglexit, apparatum composuit Lachmanniano non modo non meliorem sed multo etiam deteriorem. Quod nunc mihi primum de his duobus codicibus, Ambrosiano et Vaticano, demonstrandum est.

Priusquam autem hanc disputationem aggrediar, non inutile erit paucis in universum monere his duobus codicibus, quamvis magni aestimandi sint, tamen eas sententias quas Lachmannus de singulorum locorum antiquissima memoria ex suis codicibus cepit non valde immutari. Cuius rei causa ex sequentibus apparebit; ita rem se habere iam nunc perspici potest. Nam etiam iis qui Baehrensii de his rebus sententiam probant concedendum est his codicibus illud Tibulliani textus fundamentum quod Lachmannus iecit non tam everti quam eius iudicium, quo ex magno numero codicum ab illis duobus, ut Baehrensius putat, derivatorum integerrimos elegit, confirmari. Quod ut appareat, levissimis tantum discrepantiis omissis paucos eos locos quibus ipse Baehrensius horum codicum auctoritatem Lachmannianorum librorum consensui praetulit ita apponam ut uncis includam eos locos quibus verum ante hos codices inventos a Lachmanno aut ante eum perspectum erat.

	A B C	Ambr V.
(I, 2, 25)	versus interpolatos inserunt	non praebent illos versus
(II, 1, 33)	equitanae	aquitanae
(II, 3, 14) (II, 3, 75)	} ut I, 2, 25	
III, 4, 45	Semeles	Semele
(III, 4, 65)	ut I, 2, 25.	

Paulo maior sane est numerus eorum locorum quibus Baehrensius aliter quam Lachmannus iudicavit, quod lectionem ab uno tantum Lachmanni codice contra ceteros traditam

Lachmanns B geflossen". Longe diversum iudicium profert in editionis praefatione (pag. IX), quo eo quod accesserat codex Vaticanus, ab Ambrosiano numquam fere gravius dissentiens, duci non debebat.

ob eamque rem, ut supra docui, auctoritate carentem in suis codicibus invenit. Sed si quis quaerit, quot bonae lectiones Lachmanno neque ex suis libris neque coniectura cognitae novis his Baehrensii codicibus accesserint, nihil habeo quod proferam praeter illud „Semele" pro „Semeles".

Iam igitur ad ipsam rem accedam. Ac primum quidem mihi Baehrensii sententia refellenda est, qui omnes Lachmanni codices a suis codicibus ductos esse putat. Quod multo facilius sine dubio fieri posset, si ipse Baehrensius argumentis suam sententiam firmasset. Sane ille versus in A B C insertos attulit, ut minus interpolatos esse suos codices ostenderet, sed ex iis Lachmanni codices ductos esse, quae longe diversa res est, id simpliciter posuit. Atqui si Baehrensii sententia vera esset, haud dubie invenirentur exempla quibus variae codicum A B C scripturae explicari non possent nisi e communis fontis lectione, velut plerumque ex codicibus c, d, e inter se discrepantibus quid in C scriptum fuerit perspici potest. Sed Baehrensius non modo argumenta non attulit, sed ne sententiam quidem suam satis aperuit. Dicit enim (praef. pag. IX), facile sibi apparuisse examinanti codices inde a saeculi quinti decimi initio exaratos, eorum longe plurimos (quos accipio omnes excepto Guelferbytano eiusque asseclis) partim ex A partim ex V fluxisse; singuli autem Lachmanni codices ex utro codice derivati essent noluit dicere. Quoniam igitur non satis perspicue locutus est Baehrensius, cum longum sit demonstrare singulos Lachmanni codices neque ex Ambr neque ex V ductos esse, in sequentibus omnia ad codicum Ambr et V commune archetypum, quod litera Y significabo, referam huicque ea tribuam in quibus hi codices inter se consentiunt.

Ne autem quis interpolatis illis codicum A B C versibus, qui sane ita comparati sunt ut dubitationem de codicum fide movere possint, in errorem ducatur, breviter de hac quoque re agam. Si plures exstarent veteres codices, quorum in uno versus aliquis omissus esset, omnes eos libros in quibus pro illo versu alii interpolati essent ex illo codice ductos esse cum aliqua probabilitate concludi posset; hic autem nihil nos impedit quo minus longe ante exaratum Ambrosianum eosdem versus in omnibus Tibulli exemplaribus omissos fuisse ponamus. Hos igitur defectus antiquis temporibus toleravere qui Tibullum legebant aut describe-

bant; cum autem maiore doctrina praediti non iam illud agerent ut tradita fideliter propagarent, sed ut textum qui sine offensione legi posset efficerent, inventa sunt illa supplementa, quorum non nulla, ut a viris doctissimis profecta, in publicam notitiam abierunt, iisque librarii minus docti, qui meliora ipsi invenire non poterant, usi sunt. Sic explicandum est quod codicum Lachmannianorum, qui omnes tales versus exhibent, plerumque duo inter se consentiunt, neque tamen ita ut certa ratio cognosci possit. Sed illud ex hac re certissime concludere licet, eorum archetypum ante quam illa supplementa inventa sunt exaratum esse. Itaque interpolationis suspicio quae his versibus movetur cadit in singulorum codicum lectiones, non cadit in ea quae iam in communi eorum archetypo fuisse constat.

Iam igitur quid contra Baehrensii sententiam proferri possit dicendum est. Dubitari non potest, neque hoc Baehrensium fugit, ad eam textus formam quam codices Ambr et V praebent Lachmannianorum codicum longe proxime accedere librum B. Quod paucis exemplis illustrare satis erit. Sic I, 7, 42 A C exhibent „compede“, B Y „cuspide“, I, 10, 49 A C „pace bidens vomerque vigent“, B Y „pace nitens vomer viderit“, II, 4, 44 A C „exsequias“, B Y „obsequias“, IV, 1, 55 A C „nec valuit cyclops coeptos avertere cursus“, B Y „nec valuit cyclops tempus vertere cursus“ [1]), III, 1, 16 A C „Castaliamque umbram“, Y „Castaliamque umbrosam“, B metri causa „Castaliam umbrosam“, III, 4, 47 A C „aevique futuri“, Y „cuique futuri“, B „cuicumque futuri“, IV, 1, 200 A C „posse Meleteas nec mallem mittere cartas“, Y „posse Meleteas mallem mittere cartas“, B „posse Meleteas mallem quoque mittere cartas“, IV, 5, 16 A C „nos soluisse dies“, Y „soluisse dies“, B „exsoluisse dies“. Multo rariora et leviora ea exempla sunt quibus Y cum A aut C contra B C aut A B consentiat, quae postea enumerabo. Itaque de re ipsa dubitare non licet, quaeritur autem quo modo ea ex Baehrensii sententia explicari possit. Qui cum omnes Lachmanni libros e codice Y, qui consensu


[1]) „Vertere“ habet Ambr et, qui saepius cum illo facit, Lachmanni d, V „convertere“, B „advertere“; itaque dubitari non potest quin in communi horum codicum archetypo „tempus vertere“ scriptum fuerit; sine dubio autem totius loci in his codicibus scriptura ea re explicanda est quod in eo exemplo e quo illud archetypum ductum est literae „coeptos a“ ita scriptae erant ut legi non possent.

librorum Ambr et V efficitur, ductos esse putet, omnia quae contra hunc consensum in libris Lachmannianis occurrunt, errore aut coniectura orta esse putanda sunt. Itaque iis locis quibus B cum Y contra A C conspirat necessario librorum A C scriptura pro errore aut coniectura habenda est. Statuendum igitur esset archetypi Y scripturam in B admodum fideliter servatam, in A et C autem a librariis satis graviter immutatam esse. Cum autem A et C saepius in gravissimis ab Y discrepantiis inter se consentiant, cogitatione fingendum esset commune codicum A et C archetypum, ipsum quoque ab Y ductum, quod primum eam textus formam exhibuit quae in A et C exstat. Lachmannianorum igitur codicum haec esset ratio ut duo, A et C, inter se artiore affinitate coniuncti essent quam alteruter cum tertio, quod cogitari non posse in antecedente capite demonstravi.

Etiamsi autem quis quae ibi protuli non probat, tamen ei non licet Baehrensii sententiae assentiri. Quamvis enim doctum hominem fingamus auctorem eius textus formae quam praebent A et C, tamen fieri non posset quin in his codicibus exempla invenirentur quibus ille id quod erat in codice Y non emendasset sed depravasset. Talia autem exempla uno loco (IV, 1, 202), de quo postea agam, excepto non occurrunt; immo codicum A et C scripturae iis quas Y exhibet plerumque adeo praestant ut ne Baehrensius quidem, cui omni auctoritate carere putandae sunt, eas recipere dubitaverit; ceteris autem locis, quibus ille Y secutus est, certe non minus bonum est quod A et C exhibent. Ipsa exempla afferre supervacaneum duco, quoniam ii loci quibus Y libris A et C praestare videri potest ex iis quos pag. 44 et 50 collegi sumi facile possunt.

Iam igitur apparet Baehrensii opinionem ferri nullo modo posse; dicendum autem nunc est quo modo mihi ipsi ille inter Y et B consensus explicandus esse videatur. Atqui si Y aut prorsus aliam familiam repraesentaret quam Lachmanni codices aut ex eodem quo illi archetypo ita ductus esset ut aut cum nullo eorum aut cum A aut cum C artiore affinitate coniunctus esset, consensus ille explicari non posset. Nihil igitur restat nisi ut Y ab eodem ac Lachmanni codices archetypo ductum esse statuamus, idque ita ut inter Y et B artior affinitas intercedat. Itaque si litera X omnium archetypum significamus et pro Y eos codices re-

ponimus quorum consensu repraesentatur, hoc evadit stemma:



Itaque tres codicum classes habemus, quarum prima efficitur Lachmanni codice A, secunda libris B Ambr V, tertia codice C. Iis igitur locis ubi duae classes, prima et tertia, contra secundam consentiunt illas duas classes nos sequi debere apparet, quod optime consentit cum iis quae supra de lectionibus ab A C contra B Ambr V praebitis dixi.

Sed hoc stemma simplex est neque omni ex parte absolutum; restant enim non nulla quae accuratius determinanda sint. Ac primum quidem quaeri potest utrum A et C ex ipso X descripti sint an plura intercedant apographa. Hanc quaestionem equidem certo diiudicare non ausim, veri simile autem mihi videtur utrumque codicem ex ipso archetypo descriptum esse. Ubicumque enim inter codicem saeculi quinti decimi et archetypum aliud apographon intercedit, accidere solet ut errores ab eo qui medium illum codicem exaravit commissi tertii codicis scriptori causa interpolationis fuerint, cuius rei ex codice B exempla non nulla supra (pag. 52) attuli. Talia autem exempla cum in neutro horum codicum invenerim, veri simile duco utrumque librarium ipso archetypo usum esse, quamquam hoc pro certo affirmare nolo.

Paulo gravior, neque ipsa tamen ita magni momenti est altera quae restat quaestio, quaenam ratio intercedat inter eos codices qui secundam classem efficiunt. Ac primum quidem hoc dubitari non potest quin ea textus forma quae secundae classis propria est in codicibus Baehrensianis multo sincerius tradita sit quam in Lachmanni B. Occurrunt enim haud pauci loci quibus lectiones in quibus Ambr et V consentiunt in B aut errore aut coniectura depravata sint.[1]) Neque tamen semper erravit in coniectando scriptor libri B, immo non nullis locis verum egregie invenit. Horum locorum eos quibus B cum nullo alio codice consentit hic significare satis est, quoniam insunt in iis quos pag. 44

[1]) Exemplo esse possunt hi versus: I, 1, 20; 1, 78; 2, 18; 2, 71; 2, 73; 2, 77; 3, 25; 6, 59; 10, 46; II, 5, 23; 5, 108; III, 1, 16; 4, 58; 6, 59; IV, 1, 148; 1, 200.

congessi (sunt versus I, 1, 59 et 60; 2, 69; 6, 11; IV, 13, 3). Pertinent autem huc etiam omnes ii loci quibus B contra Ambr V cum A C verum exhibet, quorum ut appareat nullum ita comparatum esse ut verum a libri B scriptore coniectura inveniri non potuerit, eos nunc enumerabo:

Ambr V	B cum A C
I, 1, 49 si dives iure	sit dives iure
I, 2, 65 possit	posset
I, 4, 8 sit	sic
I, 4, 29 te perdit	deperdit
I, 5, 67 vincta (iuncta)	victa
II, 1, 38 querna-grande	querna-glande
II, 3, 59 nota liquor	nota loquor
II, 3, 61 nemesis qui abducis	nemesim qui abducis
II, 4, 40 portas-opes	partas-opes
II, 4, 59 si non	si modo
II, 5, 53 victasque iacentes	vittasque iacentes
II, 6, 46 tuncque reditque	itque reditque
III, 2, 7 nec mihi vera loqui pudor vitaeque fateri	nec mihi vera loqui pudor est vitaeque fateri.
III, 3, 21 homini	hominum
IV, 1, 22 hinc et contextus	huic et contextus
IV, 1, 39 cartisne forove	cartisve (A „castrisve“) forove
IV, 1, 56 Cessit Aetneae	Cessit et Aetneae
IV, 1, 70 terminae	tergeminae
IV, 1, 197 sum quidcumque	sum (seu) quodcumque
IV, 3, 18 da — turbet	ne — turbet.

Inter has lectiones a codicibus A, B, C exhibitas nulla mihi videtur esse quae non ab homine paulo doctiore ex codicum Ambr V scriptura elici potuerit. His autem locis nunc statim eos addo quibus B non cum A et C sed cum eorum alterutro contra alterum et Ambr V consentit.

Quatuor sunt loci quibus B cum A contra Ambr V C facit, quibus tamen de codicis A scriptura licet dubitare.[1]) I, 8, 61 A B scribunt:

Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem
et fugit ex ipso saeva puella toro?

[1]) Omnibus his locis quod a Lachmanno ex A adnotatur cum Mureti editione consentit.

Contra Ambr V cum C exhibent „quid possunt artes". Hic sane est res paulo difficilior, tamen fieri potuit ut in A et B verum coniectura poneretur. Facilius hoc fieri potuit altero loco, II, 3, 60, ubi C Ambr V habent „bipsatos" vel „bissatos", A B, quod verum est, „gypsatos", cum praesertim eodem verbo de eadem re usus sit Ovidius (am. I, 8, 64). III, 4, 63, de quo loco iam supra (pag. 45) disputavi, quod verum est, „mens est mutabilis illis" exhibent C Ambr V, A B „illi", quod quam facile in utroque codice potuerit oriri ibi exposui. Ultimo loco IV, 1, 77, genitivi forma „Calypsus" in utroque codice recte ex „Calypsos" restituta est.

Paulo uberius de quatuor locis disputandum est quibus B C contra A Ambr V faciunt. II, 6, 49 codices A Ambr V scribunt, quod metri causa ferri non potest: „Saepe ubi nox mihi promissa est". Hoc quin antiquitus traditum fuerit non dubito, sed in B sine dubio recte verborum collocatione mutata scriptum est: „Saepe ubi nox promissa mihi est", in eandemque coniecturam incidit qui codicem C exaravit.

Altero loco, IV, 1, 87, quid verum sit diiudicari non potest nisi utriusque lectionis auctoritate diligenter examinata. Ille enim locus apud Lachmannum sic scriptus est:

Fontibus ut dulces erumpat terra liquores,
ut facilisque tuis aditus sit et arduus hosti,
laudis et assiduo vigeat certamine miles.

Hanc scripturam si retinemus „ut facilisque" pro „utque facilis" accipiendum esse puto. Sed praeterea etiam traditur „et facilisque", quod si probamus „facilisque" respondet sequenti „et arduus". Harum lectionum utram sequamur ex ipsa re diiudicari posse non credo. Praebent autem „et" A Ambr V i. e. prima classis et secundae testes meliores, „ut" praeter C et B, tertiam classem et secundae testem deteriorem, etiam excerpta Parisina. Mihi veri simile videtur hanc discrepantiam mero errore ortam esse, sed mirum est, utcumque iudicamus, eundem errorem in tribus testibus occurrere. Quod, si „ut" verum esse ponimus, paene explicari non potest; si contrariam sententiam sequimur, adiuvamur aliquatenus ea re quod illorum temporum librariis nota erant excerpta Parisina; quod cum recte suspicatus esset Muellerus iniuria negavit Baehrensius.[1]) Itaque siquid

[1]) De hac re in sequente capite fusius mihi disserendum erit.

in tam incerta re ponere licet, in codicum archetypo fuisse suspicor „et", „ut" autem ex excerptis Parisinis et in B et in C irrepsisse. Utrum autem archetypi an excerptorum scriptura praeferenda sit, hoc diiudicari posse non credo.

Tertius locus exstat IV, 1, 167, ubi quin scribendum sit „utrimque" dubitari non potest, casu autem in tribus codicibus A, Ambr, V linea qua litera m significari solet omissa est.

Restat versus qui in codicum parte insertus est post IV, 1, 112:

Namque senex longae peragit dum saecula famae.

Quem versum cum inde a Lachmanno editores omisissent Baehrensius in sua editione revocavit ex suis codicibus. Quaeritur autem quid in Lachmanni libris traditum fuerit. Deerat ille versus in B et in d e, haud dubie etiam in C; in c enim illum versum ex interpolatis codicibus illatum esse veri simile est, quia ibi non habet eam formam quam supra posui sed eam qua id quod in primis in eo offensioni est tollitur:

Namque senex longae peragit dum saecula vitae.

Contra non dubito quin ille versus exstiterit in codice A. Heinsius enim ex A adnotat: „112 saecula famae", quod ad antecedentem versum

Terna minus Pyliae miretur saecula famae

referri nullo modo potest, quia in hoc versu Mureti quoque editio „saecula famae" exhibet, Heinsio igitur ex suo more nihil adnotandum erat. Nihil aliud igitur Heinsii adnotatione significari potest nisi fuisse hunc versum in codice A, sed ita ut pro „saecula vitae", quod est in Mureti editione, codex exhiberet „saecula famae", quae erat sine dubio antiquior huius versus forma. Rursus igitur inter se pugnant A Ambr V et B C. Quaeritur autem num ex loci natura utrum genuinus sit hic versus necne cognosci possit. Concedendum est hunc versum non ita bene excogitatum esse, neque vituperandi sunt Scaliger aliique, qui, cum a Tibullo panegyricum profectum esse crederent, silentio eum praeterierunt; tam ineptum eum esse ut ne panegyrici quidem auctori tribui possit, hoc nego. Contra si quis versum aliquem inserere voluisset, cuius rei hic nulla causa cogitari potest quia vel sine illo versu omnia apte inter se cohaerent, hoc certe non ita instituisset ut illud „saecula famae" in hoc versu prorsus ineptum ex antecedente versu repeteret.

Si autem, quod hic fit, duae offensionis causae concurrunt, semper ea explicatio maximam habet probabilitatem qua utraque difficultas explanatur. Itaque mihi veri simillimum videtur esse ob ipsum illum similem utriusque versus exitum secundum versum in codicum parte omissum esse. Ipsum autem illum similem exitum non posse poetae tribui per se apparet, et si versus coniectura explendus est, non puto aptius quidquam excogitari posse quam quod Vossius invenit, Baehrensius in textum recepit, „tempora vitae". Itaque de hoc loco Baehrensio assentior, nisi quod v. 113 „renovaverit", quod iam in A recentiore manu ex coniectura positum est, necessario scribendum esse mihi videtur. Codicum autem rationem non explicare posse mihi videor nisi ita ut in archetypo illum versum fuisse, omissum autem eum esse et in B et in C ponam, quod ut ob similem cum antecedente exitum in utroque codice accideret fieri facile poterat.

Sane ea quae in proxime antecedentibus attuli non optime consentiunt cum ea de codicum affinitate sententia quam protuli; sed mirum hoc non est, immo in tam magno versuum numero potius illud mirandum esset si talia non invenirentur. Minime autem his locis puto nos cogi ut alium codicis B fontem praeter archetypum ei cum Ambr et V commune ponamus; immo hoc licet tenere, codicis B scriptorem secundae classis textum suis commentis saepius depravasse illum quidem sed numquam, exceptis paucis locis secundum Parisina excerpta emendatis[1]), cum aliis classibus miscuisse.

Iam igitur accuratius quaerendum est quaenam affinitas inter libros Ambr V B intercedat. Atque hoc quidem facile perspici potest, codices B et Ambr, si interpolationes libri B proprias omittimus, artius inter se cohaerere quam utrumque cum V, quod ut appareat ii loci quibus librorum Ambr et B consensus a V discrepat examinandi sunt. Saepius in V occurrunt loci meris erroribus depravati, coniecturae autem in eo admissae unum tantum exemplum inveni, I, 5, 27, ubi „fructibus", quod praeter V etiam Baehrensii Guelferbytanus exhibet, interpolatione ortum esse in sequenti

[1]) Huius rei prorsus certa exempla esse mihi videntur versus I, 1, 78 et I, 10, 46.

capite demonstrabo.[1]) Nec minus fideliter secundae classis textum servant ea quae libris Ambr et B communia sunt. Nam in his quoque unum tantum interpolationis exemplum occurrit, II, 1, 22, ubi pro „ingerat", quod habent A C V, futurum „ingeret" restituendum esse intellegi facile poterat. Artissime autem inter se coniunctos esse libros Ambr et B multi docent errores utrique codici communes velut e libro primo 2, 35 „ne" pro „neu", 3, 63 „hac" vel „ac" pro „at", 5, 2 „sortis" pro „fortis", 5, 16 „voca" pro „vota", 6, 77 „at" pro „ast", 7, 57 „ne" pro „nec", 8, 2 „ferat" pro „ferant", 10, 21 „uva" pro „uvam". Clarius etiam hoc apparet e versu IV, 1, 148, ubi V una cum A et C codicibus praebet, quod sine dubio verum est, „sese offeret armis", quod cum in codice Ambr ita depravatum sit ut levissimo errore „sese offerret armis" scriberetur, libri B scriptor hoc iustum versum non efficere intellegens suo more traditis verbis etiam depravatis scripsit „se offerret in armis".

Constat igitur duo esse genera secundae codicum classis, quorum alterum solo V alterum codicibus Ambr et B efficitur. Quaeritur nunc quae inter illos duos codices affinitas intercedat. Ac Baehrensius quidem B e codice Ambr descriptum esse contendit, quod supra, cum in universum de hac re disputarem, non negavi, quia quid de hac re statuamus, non multum interesse mihi videtur. Sed nunc cum omnia accurate ad finem perducenda sint, de hac quoque re quid sentiam proferam. Videtur autem mihi Baehrensii sententia eo refutari quod non nullis locis in B lectiones ab Ambr discrepantes, cum V autem aut omnibus ceteris libris consentientes inveniuntur, quae coniectura oriri non facile poterant. Sic I, 6, 38 antiqua forma „detracto" exstat in solis B et V, quae coniectura inveniri nullo modo poterat. Similiter I, 9, 19 in Ambr ut in Lachmanni libris A et C recte scriptum est:


Divitiis captus si quis violavit amorem,

in B et V „o vitiis", quod in utroque codice mero errore ortum esse credi non potest. Contra facillime variae codicum scripturae explicari possunt, si in secundae classis archetypo „o vitiis" scriptum fuisse ponimus, quod ab eo

[1]) Hoc loco in Baehrensii adnotatione critica erratum esse suspicatus est Rossbergius in Fleckeiseni annalibus pag. 71 ff., quod si verum est, ne unum quidem huius rei exemplum exstat.

qui librum Ambr exaravit emendari ex sententiarum connexu facile poterat.

Veri simile igitur mihi videtur ex secundae classis archetypo, quod litera Y significo, duo apographa facta esse, alterum V, alterum, quod Z nomino, communem codicum Ambr et B fontem. Itaque omnes de quibus adhuc egi et Lachmanni et Baehrensii codices licet iam hoc stemmate complecti:



Habemus tres codicum classes, quarum secunda tribus libris repraesentatur. His autem ad veras secundae classis lectiones cognoscendas ita utendum est ut omnibus locis quibus V Ambr aut V B contra tertium huius classis codicem conspirant duobus iis codicibus maior auctoritas tribuenda sit, ubi Ambr et B contra V consentiunt, ea lectio praeferenda sit quae cum ceteris classibus, A et C, consentit.

Has de codicum affinitate sententias si sequimur, plerasque quae occurrunt scripturae discrepantias explicari facile posse puto. Tamen in talibus fieri non potest quin etiam non nulli loci occurrant qui contra hanc sententiam facere videantur. Complura huius modi exempla in antecedentibus data occasione tractavi, sed restant non nulla, de quibus, ne dubitatio relinquatur, nunc agere in animo est.

Supra negavi quidquam contra ea quae protuli ex ea re effici posse quod B non numquam verum cum A et C contra Ambr et V exhibet. Aliter se res habet in iis locis quibus in A B C eodem modo peccatum est, et si complura huius rei exempla afferri possent, facere non possemus quin B artius quam Ambr V cum A C coniunctum esse poneremus. Sed non inveniuntur huius rei nisi duo exempla, supra iam (pag. 50) a me laudata, II, 1, 33 et III, 4, 45. Altero horum locorum recte puto Baehrensium ex suis codicibus formam „Semelae“ recepisse, quam, cum omnes

Lachmanni codices quinto decimo demum saeculo scripti sint, non est mirum a librariis, qui traditam formam „Semele“ pro genitivo accipiendam esse nesciebant, in „Semeles“ mutatam esse. Altero loco „equitanae“, quod A B C exhibent, antiquitus traditum fuisse puto, pro quo ab iis qui Ambr et V exaraverunt, verum facili coniectura restitutum est.

Sequuntur non nulli loci quibus alter Baehrensii codex cum A aut C contra ceteros consentit, quod nisi casu fieri non posse ex eo quod posui codicum stemmate apparet. II, 3, 78 miro consensu A et Ambr coniunctivum „iuvet“, qui ab hoc loco prorsus alienus est, pro indicativo exhibent, similiter V et A I, 1, 24 mero errore „clamat“ pro „clamet“, IV, 1, 171 una litera omissa „laeta“ pro „lenta“, IV, 1, 189 „accitos“ pro „accitus“, quod ipsum quoque corruptum est, cum accusativum hic desiderari uterque librarius recte intellegeret.

Paulo maior est numerus eorum locorum quibus V cum C contra ceteros codices consentit. Quod fortasse non casu fit; si enim illis locis codicis A scripturam, de qua non numquam dubitari posse saepius monui, non recte nobis traditam esse ponimus, haec evadit codicum ratio ut A C V contra Ambr B faciant, qua in re nihil offensionis inesse ex codicum stemmate apparet. Sed etiamsi de libri A scriptura constaret, tamen non multum ex his locis concludi posset, quod ut appareat singulos enumerabo. II, 4, 43 miror Baehrensium, qui in hac re Guelferbytanum sequitur, in textum recepisse „seu veniat tibi mors“, quod etiam C et V exhibent; coniunctivus enim nihil aliud significare potest nisi dubium esse num Nemesis moritura sit. Itaque ceteri codices recte futurum „veniet“ exhibent, quod in C et V casu eodem modo depravatum esse putandum est. Similiter res se habet II, 5, 72, ubi quod antiquitus traditum fuerat „deplueritque“ in V et C in „depuleritque“ corruptum est, nec minus facili errore II, 5, 76 C et V „nubibus annus“ pro „nubilus annus“ praebent, quo loco praeterea verbum „annus“ in plerisque codicibus miro modo depravatum est. Ne II, 6, 8 quidem dubitari potest quin recte traditus sit coniunctivus „portet“, pro quo C et V indicativum posuere. Denique III, 6, 14 codices A B Ambr recte exhibent „ille ferocem contudit“, C et V prave „contulit“. De uno tamen huius modi loco fortasse aliter iudicare licet. II, 5, 112 C V exhibent „reperisse“,

ceteri „reperire“, quorum utrumque aeque aptum est. Videtur autem mihi perfecti infinitivus multo exquisitior esse quique coniectura, maxime in codice paulo vetustiore, reponi minus facile potuerit quam depravari. Itaque hoc loco fortasse assentiendum est Baehrensio, qui, rursus Guelferbytani sui testimonio ductus, perfecti infinitivum praetulit, quod si facimus, in A et Z usitatum dicendi genus interpolatione aut errore restitutum esse putandum est.

Ultimo loco restant non nulli versus quibus codices paulo difficiliore modo inter se discrepent, quibus singulis quo modo codicum ratio explicanda esse mihi videatur nunc exponam.

I, 1, 37 in X scriptum erat „e paupere mensa“, quam praepositionem solus retinuit A; C eam coniectura in „de“ mutavit, in Y autem errore „et“ scriptum erat, quod cum ferri nullo modo posset, B coniectura „e“ restituit. Codicum igitur discrepantia prorsus perspicua est; quid autem Tibullus scripserit confiteor me dubitare. Concedendum enim est illud „de“, quod coniectura haud dubie ortum est, aptissimum esse, idque si probamus, egregie sibi respondere carnes et poma, quae de mensa sumuntur, et vinum, quod e poculis libatur. Potest tamen tradita lectio defendi, quamquam non ita ut Dissenus eam tueri conatus est. Constat enim iam apud comicos poetas mensam pro iis dici quae in mensa ponuntur. Tamen mihi videtur veri similius esse poetam hoc loco verbo „mensa“ ea significatione usum esse quae fictilibus in sequenti versu positis respondet.

I, 3, 4 quid Tibullus scripserit prorsus incertum esse mihi videtur. Ibi enim A exhibet:

Abstineas avidas, Mors p r e c o r a t r a, manus.
Abstineas, mors atra, precor.

Contra in secundae classis libris scriptum est:

Abstineas avidas Mors m o d o n i g r a manus,

in tertia denique

Abstineas avidas Mors v i o l e n t a, manus.

Quae cum ita sint, verisimillimum est in archetypo huius versus exitum omnino scriptum non fuisse, cuius rei causa facile potest cogitari, si hunc versum ob duplex illud „abstineas“ primo omissum et deinde in margine additum esse suspicari licet. Quod si verum est, omnes huius versus formas a libris exhibitas fatendum est optime cum Tibulli more et huius loci natura consentire. Tamen codicum rationem ita quoque explicare licet ut in archetypo idem scriptum fuisse quod A exhibet, secundae autem et tertiae classis librarios, ut verborum repetitionem tollerent, locum immutasse ponamus.

I, 3, 13 Ambr et B recte exhibent: „Tamen est deterrita numquam“, A et V „nusquam“, in C fuisse videtur „quicquam“. Ortae mihi videntur illae turbae ita ut in archetypo „nuquam“ omissa lineola illa quae literam m significat scriptum esset.

I, 7, 6 X videtur exhibuisse „evictos“ (n supra scriptum), ex quo „evinctos“ C scripsit, cum A literam supra scriptam omitteret. Y scripsit „invictos“ (n supra scriptum), idemque Z et B, Ambr autem et V ipsi quoque literam n neglexerunt.

I, 8, 2 „levia“, quod neque per metrum neque per sententiam ferri potest, scriptum erat non modo in A et C sed etiam in Y et Z, unde in Ambr quoque venit. Contra in B et V „lenia“ scribendum esse intellectum est.

I, 8, 51 ad veram formam verbi quod est „sontica“ proxime accedit C, in quo est „sentica“, neque aliter videtur in archetypo scriptum fuisse. Paulo gravius in secundae classis libris peccatum est, qui „sentita“ scribunt. In A autem interpolatione „rustica“ positum est.

I, 9, 40 A et C exhibent:

Sed precor exemplo sit levis illa tuo.

Contra in secunda classe traditur „sit precor exemplo“, pro sequenti autem „sit“ in Ambr s; in B „sic“ in V „sed“, quorum ultimum non minus aptum esset. Tertium denique Baehrensius invenit:

Sit precor exemplo, sit levis illa tuo,

ne hoc quidem male[1]). Tota igitur quaestio pendet ex auctoritate, neque mihi dubium esse potest quin praeferenda sit codicum A et C scriptura. Quod autem secunda classis exhibet, hoc mihi videtur ita ortum esse ut primum pro „sit“ sola litera s poneretur, quae cum postea non recte intellecta esset, etiam illud „sed“ initio versus mutatum est. Deinde V et B pro litera s id quod ea significari putabant reposuerunt.

---

[1]) Aliam eiusdem Baehrensii coniecturam ab eo in libro „Tibullische Blätter“ pag. 85 prolatam omitto, cum et ipse eam deseruerit neque breviter de ea agi possit, quoniam cum sententia cohaeret quam ille de versibus 39–44 in antecedens carmen transponendis ibi profert.

I, 10, 41 in archetypo scriptum erat ut in excerptis Parisinis:

Ipse suos sectatur oves, at filius agnos,

quod inter codices soli C et Ambr retinuerunt. Ceteri librarii offenderunt in illo „at", quo quamquam saepius Tibullus sensu fere simpliciter copulativo utitur[1]) tamen ne nostris quidem temporibus omnes de hac re recte iudicaverunt. Variis igitur coniecturis hanc coniunctionem ita immutaverunt ut in A et V „ut", in B „ac" scriberetur.

II, 4, 23 in archetypo puto scriptum fuisse:

Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis,

veri simile autem est casu aliquo ultimum verbum deletum esse; servatum enim est in sola secunda classe, aut e vera coniectura aut quia eo tempore quo huius classis archetypum exarabatur verbum illud legi etiam poterat. A et C autem variis modis integrum versum effecerunt, A ita ut in eius fine „donis" adderet, C ita ut „sacris" e medio versu in fine collocaret eiusque loco „focis" poneret. Sed utrique commento secundae classis lectio praestat.

Versum II, 5, 23 recte mihi videtur Baehrensius sic scripsisse:

Romulus aeternae nondum formaverat urbis
moenia, consorti non habitanda Remo.

Formandi enim verbum traditum est in C Ambr V, i. e. in tertia classe et secundae testibus potioribus, erat igitur haud dubie in archetypo. Itaque quod A et B exhibent coniectura ortum esse putandum est, quod de eo quod est in codice A „fundaverat" iam dudum constabat. Quam autem B praebet emendationem, „firmaverat", ea tam elegans est ut eam a plerisque editoribus receptam esse mirum non sit; tamen ea carere nos posse censeo.

II, 5, 108 codices exhibent „illa", „ista", „ipsa", quae pronomina vulgo inter se permutantur. Atque „ipsa" quidem, quod B exhibet, ferri non potest, utrum autem „illa" an „ista" recte traditum sit per se cognosci non potest. Tamen „ista" videtur recipiendum esse, quia, cum in codicibus Ambr V C scriptum sit, maiore auctoritate nititur.

III, 4, 9 codices ita inter se discrepant ut A praebeat „et varium ventura", secunda classis „et natum maturas",

[1]) De hoc usu monuit Vahlenus (Monatsberichte der Berliner Akademie von 1878, pag. 346).

in C autem fuisse videatur „et vatum in curas". Cum autem trium harum lectionum duae, quae sunt in A et C, ita comparatae sint ut intellegi possint, tertia autem sensu omnino careat, si recte de hoc loco iudicaturi sumus, ab illa tertia proficiscendum eamque in archetypo fuisse cumque sensum non praeberet in ceteris libris vario modo immutatam esse statuendum est. Sic autem si iudicamus, non potest melior coniectura in hunc locum proferri quam quod iam in veteribus editionibus scriptum est „et natum in curas".

Maximas difficultates hic quoque ut solet praebet panegyricus. Ac primum quidem v. 19 scribendum esse

Qualis in immenso desederit aere tellus

docet fragmentum Cuiacianum, cum eoque consentiunt Ambr et V. Altera scriptura exstat in B:

Qualis in immensum descenderit aera tellus.

A et C autem mirum in módum inter utramque lectionem ita fluctuant ut C exhibeat „in immenso descenderit aere", A prorsus inepte „in immenso descenderit aera".[1]) Quam discrepantiam equidem aliter explicare non possum nisi ut in archetypo aliquem id quod in B legitur, quia minus usitatum verbum „desederit" non intellexit, coniectura addidisse ponam. In X igitur hic locus sic scriptus fuisse videtur:

um scenderit a
Qualis in immenso desederit aere tellus",

et in Y et Z duplicem scripturam servatam esse puto. Sic explicari certe potest codicum discrepantia,| sed concedendum est hunc locum ex iis esse quibus facillime aliquis ad Baehrensii sententiam defendendam abuti possit.

v. 40, quem versum A omittit, C exhibet quod erat in archetypo „hic aut hic". In Y alterum „hic" casu excidit, cumque sic „aut" nullum sensum praeberet B hoc quoque omisit.

v. 84 scribendum esse „cervos" viderunt Itali. In archetypo haud dubie scriptum erat „nervos", quod libri A et C et excerpta Parisina exhibent. In secunda classe depravatum hoc est in „vernos", quod exstat in Ambr et V. Quod autem B sive coniectura sive facili errore — nihil

[1]) Fortasse iniuriam facio ei qui librum A exaravit; eum enim „immenso", non „immensum" scripsisse non constat nisi ex Heinsii silentio.

enim fere interest inter „vernos“ et „nervos“ — in idem incidit quod A et C exhibent, hoc mero casu factum est, nisi forte eos qui codicem B contulerunt in eo non „nervos“ sed „vernos“ scriptum esse fugit.

v. 91 Lachmannus scribit „aut“, Baehrensius „et“, quorum utrumque et in Lachmanni et in Baehrensii huius loci interpunctione aeque bene ferri potest. Itaque ut quid scribendum sit appareat codicum memoria examinanda est. Lachmannus recepit „aut“ ex B, quem hic secundae classis lectionem non fideliter servasse docent Ambr et V, qui „et“ exhibent, ductus autem est fortasse ea re quod „at“, quod in C invenitur, paulo propius accedit ad „aut“ quam ad „et“, quod A exhibet. Sed nunc, cum „et“ in secunda et tertia classe fuisse constet, assentiendum est Baehrensio.

v. 169 codicum discrepantiam sic fortasse facillime explicabimus, si in archetypo fuisse ponimus non „vertitur“ sed „vertiter“, idque etiam in Y et Z servatum esse. Sic intellegitur quam ob rem C hic prorsus aliud verbum „labitur“ exhibeat, et in Ambr hoc verbum plane omissum sit. B retinuit „vertiter“, in A et V autem „vertitur“ recte emendatum est.

Sequenti versu in X, Y, Z fuisse videtur hic (n supra scriptum), quod C et V recte pro „hinc“, Ambr facili errore pro „huic“ acceperunt, cum A et B supra scriptam literam prorsus neglegerent. Utrum autem cum Lachmanno „hic“ an cum Baehrensio „hinc“ scribendum sit, difficile est dictu. Sane dici potest, si „hinc“ scribimus desiderari in hoc versu idem quod in antecedenti significetur pronomine „nobis“, sed in panegyrico perverse agerent si qui omnia ad severam normam exigerent.

IV, 1, 202 codicum alii „inhaeret“, alii „meret“, alii „inerret“ quod verum est, praebent. Sed haec re vera non est discrepantia, nam in archetypo sine dubio erat „ineret“, quod vario modo legi poterat.

Iam igitur tota quaestione ad finem perducta quaerere licet quem tandem fructum ex his Baehrensii inventis Tibulli textus perceperit. Atque hoc iam constare puto, ipsum de hac re non recte iudicasse, neque sine causa supra me contendisse Baehrensii apparatum Lachmanniano non modo non meliorem sed etiam deteriorem esse; cum enim tres

esse meliorum codicum classes Lachmannus recte perspexerit, harum duabus Baehrensii apparatus plane caret. Sed huius rei ea causa est quod Baehrensius his codicibus non recte usus est; ipsis inventis optime de Tibullo meruit, quoniam nunc de secundae classis, quae vetustissima videtur esse, lectionibus omnibus fere locis certo constat. Quod ne quis parvi aestimet ob eam causam quia duae sunt praeterea codicum classes, tenendum est primum codicum A et C scripturas non semper pro certo nobis cognitas esse, deinde hos codices, ut sunt recentiore aetate scripti, haud raro interpolatos esse, quam ob rem non numquam alterius lectione ad veram scripturam inveniendam uti omnino non licet.

CAPUT IV.

De Baehrensii Guelferbytano.

Quos antea tractavi Baehrensii codices iis non multum in Tibulli textu novatur, quoniam perraro scripturas exhibent antea ignotas. Longe aliter tertius codex a Baehrensio adhibitus, Guelferbytanus (G), comparatus est, quippe qui admodum multis locis a communi codicum A B C et Ambr V memoria recedat. Itaque ipse Baehrensius huic codici multo plus tribuit quam ceteris a se inventis; quin etiam professus est videri sibi inde a Scaligeri editione non maius emolumentum redundasse in crisin Tibullianam quam hoc codice a se invento.[1]) Et hoc quidem concedendum est, si re vera tanta illi codici auctoritas tribuenda est quanta Baehrensio videtur, multos locos ex illo immutandos esse quorum alios corruptos esse nemo umquam intellexisset alios pro certo emendare nemo potuisset. Sed illud ipsum, num Baehrensius recte de huius codicis pretio iudicaverit quaerendum est.

Iam ante Baehrensium Heynius hoc codice in sua editione non numquam usus est, neque fugerat Lachmannum, qui semel (ad II, 1, 89) eum commemorat eumque Pontani solere inventa sequi dicit. Sed huic Lachmanni iudicio non multum tribuendum est; nam Lachmannum veri simile est codicem non novisse nisi ex Heynii adnotationibus, qui de

---

[1]) Praef. pag. XVI. Minus haec verba mirabuntur qui eiusdem Baehrensii de Lachmanni editione iudicium legerint (Tibullische Blätter pag. 56 ff.)

discrimine quod est inter primam et secundam codicis manum non semper satis perspicue locutus est. Omnes huius codicis lectiones Baehrensius, qui ipse eum contulerat, primus tradidit, idque ita fecit ut accurate inter primam manum et secundam altera aliquot decenniis iuniorem, cui prorsus nullam auctoritatem tribuit, discerneret. Baehrensio videtur hic codex circa annum 1425 exaratus esse, de qua re fortasse licet dubitare. Qui enim vel obiter lectiones ex hoc codice traditas examinaverit eum fugere non potest scriptum esse illum ab homine doctissimo; iudiciis autem e literarum natura ductis non pro certis utendum esse et in universum constat, cum haud raro gravissime inter se discrepent virorum doctorum de his rebus sententiae, et in hoc codice illud accedit quod librarius non suae aetatis scribendi genere usus est sed, ut Baehrensius tradit, imitatus est summa arte scripturam langobardicam. Sane pro Baehrensii sententia id afferri potest quod iis locis ubi in archetypo versus omissi erant, qui in codicibus vario modo suppleti sunt, G talibus supplementis caret. Sed G ne ex Baehrensii quidem sententia ante Lachmanni codices A et B scriptus est, qui haec supplementa exhibent, defectum autem statuendum esse librario non ignotum fuisse ex interstitiis illis locis ab eo relictis sequitur; itaque librarius illa supplementa non tam non novisse quam recipere noluisse videtur. Suspicari autem fortasse licet librarium in his supplementis omittendis idem consilium secutum fuisse atque in imitanda scriptura langobardica, ut codici suo vetustatis speciem arrogaret.[1]) Sed de hac re iudicabunt qui et ipsum codicem inspexerint artisque palaeographicae peritiores sunt et illorum temporum studia grammatica accuratius cognita habent; mihi nunc non de vetustate sed de auctoritate codicis agendum est. In hanc autem rem praeter alios, qui Baehrensii iudicium simpliciter probaverunt nuper non nulla disputavit Rossbergius[2]), qui, quamquam Baehrensio in summa re assentitur, tamen minorem huic codici auctoritatem quam illi videtur tribuendam esse

[1]) Fraude librarium scripturam langobardicam imitatum esse Baehrensius veri simile non putat; sed quanam alia causa hoc facere potuisset etiamsi verum esset quod Baehrensius ponit, eius exemplar ita scriptum fuisse, non intellegerem.

[2]) In Fleckeiseni annalibus anni 1879, pag. 71 ff.

contendit, ob eamque rem reprehensus est a Baehrensio,[1]) qui tamen contra illius sententiam nihil novi protulit.

Duobus modis in talibus quaestionibus agere licet, aut ita ut eum de quo agitur codicem cum alio bono teste non omni ex parte noto artiore affinitate coniunctum esse demonstretur, aut ita ut singulis eius lectionibus eximiam inesse bonitatem ostendatur. Utrumque quoniam factum est a Baehrensio, mihi quoque res ita instituenda est ut primum agam de causis externis quibus Baehrensii sententia nititur, deinde singulas codicis lectiones examinem.

I.

Codicem G cum excerptis Parisinis non nullis locis adeo consentire ut casu hunc consensum ortum esse credi non posset Baehrensius docuit exemplis e prima primi libri elegia petitis[2]), neque de hac re dubitari potest. Hanc rem Baehrensius ita explicavit ut codicem G ex eodem quo excerpta fonte ductum esse poneret. Cum autem excerpta ab omnibus ceteris codicibus non modo iis locis discrepent quos ab excerptore immutatos esse constat sed etiam ita ut eam discrepantiam iam in eo quo excerptor usus est codice fuisse statuendum sit, apparet librum G, si quidem ab hoc codice ductus est, prorsus aliam familiam repraesentare quam ceteros codices, excerptorum autem eas tantum lectiones pro scripturis huius familiae propriis habendas esse quibus illi cum G consentiunt. Hac igitur in primis ratiocinatione Baehrensius commotus est ut illius codicis natura perspecta ad Tibulli textum recte constituendum plus quam Lachmannum aliosque se praestitisse crederet. Atque hoc quidem concedendum est, si recte Baehrensius hunc solum codicem secundam illam familiam, quam supra, cum de excerptis Parisinis agerem, altera non deteriorem esse vidimus, repraesentare iudicaverit, multo pluris eum aestimandum esse quam vel optimos alterius familiae codices, qui nihil fere boni afferunt quod non ex uno alterove eiusdem familiae libro notum sit. Sed ipsum Baehrensium non fugit affinitatem illam quae inter excerpta et codicem G intercedit longe aliter explicari posse. Poni enim potest virum aliquem doctum Tibulli exemplar collatis excerptis correxisse

[1]) Ibidem pag. 473.

[2]) Praefatio pag. XIV.

talique ex recensione G ortum esse. Innotuisse autem illorum temporum grammaticis excerpta Parisina iam Muellerus suspicatus erat, qui etiam Lachmanni codices non nulla vitia ex iis traxisse contendit.[1]) Sed ex Baehrensii sententia hos codices eas lectiones quibus cum excerptis consentiunt ex ipso G sumpsisse ponendum est, neque, si ita iudicare cogeremur, haberem quod contra hanc rem proferrem, nisi quod parum veri simile videtur codicis B anno 1423 exarati, qui non nullis locis cum excerptis facit, scriptorem eos locos e codice G, quem ipse Baehrensius circa annum 1425 scriptum esse putat, sumpsisse.[2])

Baehrensius igitur cum duabus rationibus hanc affinitatem explicari posse videret, contra harum alteram argumenta proferre conatus est, sed, ut mihi videtur, non feliciter. Atque primum quidem negavit ullum Italum ea artis criticae facultate praeditum fuisse ut tanta cum dexteritate bonas lectiones eligeret, malas sperneret, praeterea neminem animum adversurum fuisse ad discrepantias tam subtiles quales sunt „vita“ pro „vitae“, „bidentem“ pro „bidentes“. Atque his quidem quae secundo loco posuit brevissime potest responderi. Si enim ponimus, quod fieri certe poterat, in codice aliquo, a quo G ductus est, summa cum cura excerptorum lectiones ita adnotatas fuisse ut graviores discrepantiae in margine, leviores velut eae quae una litera efficiebantur inter lineas ponerentur vel etiam correctione in ipsum textum inferrentur, nullam iam praeberet difficultatem si a librario non ita diligenti, qui illo codice usus est, graviores discrepantiae fere neglectae, leviores fere receptae essent. Itaque ex hac quidem re nihil effici potest. Quae autem Baehrensius ex bonitate earum lectionum quae sunt

[1]) Praefatio pag. XI.

[2]) Certius de hac re iudicari posset, si paulo maior esset numerus eorum locorum quibus unus ceterorum codicum cum excerptis consentit. Sic enim quaeri posset, num his codicibus essent scripturae cum excerptis communes quibus G ab illis discrepat. Nunc ex paucis qui exstant huius modi locis nihil mihi videtur pro certo effici posse. Tamen moneo I, 5, 70 C exhibere „sors“ pro „fors“ cum altero excerptorum codice, I, 9, 3 A „ah miser est si“ cum excerptis pro „ah miser, etsi“, denique versus II, 6, 20 A eandem formam exhibere quae exstat in excerptis, quo loco Lachmannus non recte mihi videtur de codicis A scriptura dubitare, quoniam tam gravis discrepantia Heinsium fugere non facile poterat. Tribus his locis G ab excerptis discrepat, et fortasse non nulla alia huius rei exempla inveniri possunt.

codici G et excerptis Parisinis communes conclusit, in iis non minus errasse mihi videtur, quia de ipsa illa bonitate dubito. Sane ipsi Baehrensio et iis qui illius tantum apparatum inspiciunt facile videri potest res ita se habere; sed mihi ex mea de codicibus sententia longe aliter iudicandum est. Cum enim Baehrensius, ut antecedente capite docui, trium classium quae ab archetypo derivatae sunt unius tantum lectiones in suo apparatu exhibuerit, facile intellegitur multos inveniri locos quibus G verum, quod erat in archetypo, depravatum est in sola secunda classe, exhibeat, neque id non exstet in excerptis. Omnes autem huius modi loci mihi plane omittendi sunt; nam apparet huc eos tantum locos pertinere quibus G contra id quod in archetypo fuisse constat aut veri simile est cum excerptis conspirat. Quos locos si exceperis, tam parvus evadit eorum numerus ut, cum in Baehrensii apparatu admodum multi occurrant, equidem non invenerim nisi viginti duo[1]). Facile autem apparet sic mihi eos locos omittendos esse quibus bonitas illa, quam Baehrensius putat, lectionum inter G et excerpta communium maxime perspiceretur; ubi enim A C G cum excerptis contra secundam classem consentiunt, verum fere in illis exstare facile intellegitur. Itaque mirum non est me de hac re longe aliter iudicare et, quamquam plerasque harum lectionum non malas esse concedo, tamen eximia illa arte non offendi, cum praesertim ab homine valde erudito codicem G exaratum esse supra dixerim.

Fortasse autem alicui ii loci quos Baehrensius ex prima primi libri elegia affert ita comparati esse videri possunt ut illius iudicium confirment; sunt enim in his re vera non nulli quibus codicis G et excerptorum lectio haud dubie praeferenda sit, nullus quo eam deteriorem esse certis argumentis demonstrari possit. Sed primae huius elegiae in hac re rationem paulo diversam esse a ceteris vel ex eo perspici potest quod, cum viginti fere loci, ut supra dixi, occurrant, quibus G et excerpta contra ceteros codices conspirent, horum sex in hac sola elegia inveniuntur.[2]) Itaque

[1]) Hi loci occurrunt versibus I, 1, 2; 1, 5; 1, 29; 1, 41; 1, 48; 1, 78; 8, 9; 8, 10; 8, 11; 8, 43—45; 10, 46; II, 1, 29; 1, 45; 3, 36; 3, 41; III, 3, 20; 3, 22; 3, 29; 6, 13; 6, 46; IV, 1, 39; 1, 39—47.

[2]) Magnus hic, si eum cum ceteris carminibus comparamus, numerus tamen non tantopere admirationi esse debet quantum videri potest. Ipso-

ut haec mira numerorum ratio sic eximia illa eius modi lectionum in hoc carmine bonitas casui tribui potest. Sed licet fortasse, si G ex codice in quo discrepantes excerptorum scripturae adnotatae erant compluribus intercedentibus apographis derivatum esse putamus, utramque rem ita explicare ut librarios, ut solent, in primo carmine ad has adnotationes intentiore animo respexisse et maiore cum iudicio inter eas elegisse quam postea ponamus. Itaque ne ex his quidem primi carminis lectionibus quidquam concludi potest.

Neque magis comprobari potest alterum argumentum, quod in Baehrensii sententia alia occasione prolata inest. Negat enim ille (pag. IX) certis argumentis Muelleri sententiam, qui grammaticis Italis excerpta in manibus fuisse coniecerat, comprobari posse. De hac autem re certissime licet iudicare ex iis quae ipse Baehrensius tradit. Ac primum quidem respicienda sunt quae ille (pag. VI) contra Lachmanni sententiam, qui saeculo quarto decimo quemquam Tibulli carmina legisse negaverat, prorsus recte disputat. Exstat enim in bibliotheca Veronensi florilegium anno 1329 scriptum, e quo Guilelmus Meyerus[1]) tres Tibulli locos tradidit. Quibus ex locis cum ad quaestionem de Tibulli codicibus facile aliquid effici possit, eos ita ut a Meyero traduntur hic exhibeo, de iisque paulo fusius quam ad eam rem de qua nunc maxime ago demonstrandum necesse est disputabo. Sic igitur hi loci ab illo codice exhibentur:

Pag. 1, col. 2: Tibulus in libro de felicitate pauperis vite (I, 9, 23) Ne tibi cellandi spes sit peccare paranti Est deus occultos qui vetat esse dolos. Ipse deos somno domitos emittere vocem cogit et invitos fata tegenda loqui.

Pag. 24, 2[2]): Tibulus (I, 4, 21) Nec iurare time Veneris periuria venti Irrita per terras et longa freta ferunt — Idem (I, 9, 3) Ha miser et si quis primo periuria collat Sera tamen tacitis pena venit pedibus.

Horum locorum primum non ex Tibulli codice sed ex

rum enim excerptorum ea quae ex primo carmine sumpta sunt sextam fere partem efficiunt.

[1]) „Die Sammlungen der Spruchverse des Publilius Syrus“, pag. 62 et 66.

[2]) Ex eo quod Tibulli versus non uno loco afferuntur nihil concludi potest, quia qui hoc florilegium composuit rerum ordinem secutus est.

excerptis Parisinis sumptum esse vidit Baehrensius. Hoc enim praeter primi distichi formam, quae consentit cum excerptis, sed fortasse etiam in integro Tibulli exemplari nondum corrupto inveniri poterat, docent omissi versus 24 et 25, „ne“ pro „nec“, denique supra scriptum illud „de felicitate pauperis vite“. Ceterorum autem locorum alter in excerptis ne exstat quidem alter in iis aliter scriptus est, neque si quis suspicetur sumptos eos esse ex excerptorum exemplari pleniore et minus corrupto, multum hac re iuvamur, quia loci I, 4, 21 sententia adeo abhorret ab eo consilio quod excerptorum Parisinorum auctorem secutum esse supra vidimus ut eum hunc locum recepisse credi non possit. Quamvis igitur hoc mirum sit, tamen dubitari non potest quin florilegii Veronensis auctor et excerptorum exemplari et integro Tibulli codice usus sit. Qui codex quo modo comparatus fuerit multum interest scire. Qua de re Baehrensius protulit coniecturam (pag. XVIII), quae mihi quidem videtur non ita simplex esse ut facile omnibus probari possit. I, 4, 22 enim codices Ambr V ut Lachmanni B et C exhibent „et freta summa“, G „et loca summa“, florilegium Veronense „et longa freta“. Atque hoc quidem recte iudicavit Baehrensius, verum esse „et freta summa“.[1]) Concludit autem ex hoc loco artiore cognationis vinculo inter se coniunctos esse G et eum codicem quo auctor florilegii usus est; in codice enim aliquo fuisse correcto librarii errore „loca $\overset{\text{freta}}{\text{summa}}$“; cum autem G verbum supra scriptum prorsus neglexisset, alium librarium emendatione non recte intellecta scripsisse „loca freta“, e quo deinde ortum esse „longa freta“. Sed haec sententia nemini certa esse videbitur. Multo magis illud animadvertendum esse puto, quod ipse quoque Baehrensius commemoravit, in Lachmanni A hoc loco traditum esse „freta longa“, quod e „freta summa“ interpolatione, qua etiam quod est

[1]) Miro modo de illo „et freta summa“ discrepant virorum doctorum iudicia. Ridetur a Broukhusio, cum magna vi et venustate dictum esse putatur a Vulpio, quorum uterque invenit qui eius sententiam sequerentur. Mihi rectius iudicasse videntur quibus haec scriptura displicet, quamquam causam offensionis non recte aperuerunt. Offensioni enim mihi non est illud „summa“, sed quod „per“ et „summa“ simul adduntur. „Per freta“ de ventis dici non potest nisi ita ut „fretum“ accipiatur sensu, ut ita dicam, geographico, quod fieri sine dubio potest. Contra „freta summa“ si dicimus, verbo „fretum“ significamus ipsam aquam, quo modo si locum accipimus, praepositione „per“ non apte usus est poeta.

in G ortum esse videtur, oriri facile poterat. Hoc sane multo propius ad florilegii Veronensis scripturam accedit. Hunc autem connexum si casu ortum esse negamus, statuendum est A derivatum esse a communis archetypi apographo ante annum 1329 facto. Sed non puto ex hoc uno loco quidquam certi effici posse.

Utcumque autem haec se habent, id Baehrensius recte perspexit, auctorem illius florilegii usum esse excerptis Parisinis. Si autem quarti decimi saeculi grammaticis ea in manibus erant, cur idem de sequenti saeculo negandum est? Sed licet etiam certius de hac re iudicare. G enim aliquot, ut ait Baehrensius, postquam exaratus est decenniis correctus est a viro aliquo docto, cuius adnotationibus Baehrensius non plus tribuit quam ceterorum Italorum coniecturis. Illarum autem adnotationum duae cum excerptis Parisinis adeo consentiunt ut mero casu hunc consensum ortum esse credi non possit. Conspirant enim in „exiguo" pro „assiduo" (I, 1, 6) et in „et melius cras fore semper ait" pro „et fore cras semper ait melius" (II, 6, 20). Has autem lectiones unde corrector ille sumere potuerit, nisi ipsa excerpta horum temporum grammaticis nota erant, non apparet.

Quoniam igitur vidimus, si quis in codicis G archetypo excerptorum lectiones adnotatas fuisse statuat, contra eam sententiam nihil iure proferri posse, iam num necessitate aliqua ut ita statuamus cogamur videndum est. Qua de re prorsus certe iudicari posset si satis magnus esset numerus eorum locorum quibus G et excerpta conspirant. Vidimus enim supra, cum de excerptis ageretur, non nullas eorum lectiones ab excerptore profectas esse certo constare. Si igitur G cum eo codice quo excerptor usus est affinitate coniunctus esset, earum lectionum quas ab excerptore profectas esse demonstrari potest, nulla in codice G nisi casu inveniri posset. Si autem contraria sententia vera esset, sic quoque veri simile esset eas excerptorum lectiones quae in sententiarum connexum adeo non quadrant ut eas excerptoris interpolatione ortas esse pro certo cognosci possit a libri G scriptore ut homine paulo doctiore plerumque spretas esse; tamen mirum esset nisi non nullae earum in eius libri textum irrepsissent. Nunc sane ea re impedimur quod pauci tantum loci exstant de quibus iudicari possit;

tamen tria saltem exempla inveni, quorum unum quidem instar multorum esse mihi persuasum est.

I, 8, 9 Tibullus Marathum Pholoes amore flagrantem his verbis alloquitur:

> Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos
> saepeque mutatas disposuisse comas,
> quid suco splendente genas ornare, quid ungues
> artificis docta subsecuisse manu?
> Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus
> ansaque compressos colligit arta pedes.

In eodem carmine poeta Pholoen monet ne nimis difficilis puero sit, eique ante oculos ponit quid eam maneat, si florente aetate iuvenum amores spernat. Sero revocari iuventam, cum cana senectus caput infecerit. Pergit autem deinde ita (43—46):

> Tum studium formae est, coma tum mutatur, ut annos
> dissimulet viridi cortice tincta nucis:
> tollere tum cura est albos a stirpe capillos
> et faciem dempta pelle referre novam.

Hi versus sic optime quadrant in sententiarum connexum, neque ullo modo ferri potest G codicis scriptura, qui pro unoquoque trium illorum „tum" „nunc" reponit. Apparet autem miram hanc discrepantiam non casu ortam sed certo aliquo consilio in textum illatam esse. Quod quale fuerit facile perspicitur si excerpta Parisina respicimus, qui hos locos in unam sententiam coniunctos sic (omissis levioribus discrepantiis) exhibent:

> Ad anum luxuriosam et quaerentem placere.
> Quid tibi nunc prodest molles coluisse capillos 9
> saepe et mutatas disposuisse comas,
> quid suco splendente genas ornare, quid ungues
> artificis docta subsecuisse manu?
> Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus
> ansaque compressos colligit arta pedes. 14
> Nunc studium formae est, coma nunc mutatur, 43
> ut annos
> dissimulet viridi cortice tincta nucis:
> tollere nunc cura est albos a stirpe capillos
> et faciem dempta pelle referre novam.

Iam igitur quid rei sit apparet. Excerptor his duobus locis inter se coniunctis suo more id egit ut certam aliquam condicionem, quam expressis verbis indicavit, describeret.

Coniunctis autem his locis „tunc“ ferri non poterat, sed secundum antecedentia immutandum erat. Apparet igitur hanc mutationem profectam esse ab excerptore et ex excerptis in codicem G pervenisse. Contra nemo tam ineptus fuisset ut in integro Tibulli codice tribus illis locis „nunc“ pro „tunc“ reponeret.

II, 1, 27 Tibullus diem festum depingens, cum felicibus extis deos precibus suis favere senserit, vina poscit his verbis:

Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
consulis et Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent: non festa luce madere
est rubor, errantes et male ferre pedes.

Secundum horum distichorum excerptor recepit, sed apparet eius sententiam ab excerptoris moribus prorsus abhorrere. Itaque ea qua erat in talibus sollertia levissimis mutationibus verborum sensum ita prorsus evertit ut poetam in nefarios illos homines, qui, ut ait ipse titulo supra scripto „in festis (i. e. sacris diebus) operam dant luxuriae“ gravissime invehentem faceret:

Vina diem celebr*a*nt *nec* festa luce madere
est rubor, errantes et male ferre pedes.

Id quoque in excerptore laudandum est quod illud „non“, quod apud Tibullum optime neque sine vi dicitur, immutatis verbis non item aptum esse recte sensit. Necessario autem immutandus erat coniunctivus, cui in ea quam excerptor efficere studuit sententia locus non erat. Ex excerptis deinde indicativum sumpsisse mihi videtur qui codicem G exaravit. Aliter de hoc loco iudicavit Baehrensius, qui indicativum in textum recepit. Quod quamquam ferri posset, etsi breves tales sententiae mihi videntur alienae esse a Tibulli arte, tamen egregiam codicum scripturam, in qua multo maior vis inesse mihi videtur, quaque sola asyndeto sua vis tribuitur, mero casu ortam esse mihi non videtur veri simile.

III, 6, 13

Ille facit dites[1]) animos deus, ille ferocem
contudit et dominae misit in arbitrium,
Armenias tigres et fulvas ille leaenas
vicit et indomitis mollia corda dedit.

---

[1]) Admodum probabiliter videtur mihi Lipsius „mites“ coniecisse.

His quoque versibus usus est excerptor, sed ita ut medios illos duos versus omitteret, sive quia in iis domina commemoratur, sive quia de Baccho his versibus agi putabat, quod apparet ex verbis in excerptis adscriptis.[1]) Primus autem et quartus versus inter se coniuncti sane sensum efficiunt:

Ille facit dites animos deus, ille ferocem
vicit et indomitis mollia corda dedit.

Sed offensioni est singularis „ferocem“, positus inter „dites“ et „indomitis“. Itaque mirum non est quod excerptor pro eo pluralem restituit, qui ex excerptis etiam in codicem G pervenit. Hoc modo discrepantiam illam ortam esse quamquam non plane certum est, tamen hoc ab omnibus concedetur, singularem in pluralem multo minus facile abire potuisse in integro Tibulli exemplari, ubi „dominae“ sequebatur, quam in excerptis, ubi singularis medium inter duos plurales locum obtinet.

Plura huius rei exempla non inveni, neque hoc mirum est. Tamen etiam ex paucis his locis, maxime ex primo, illud consequi mihi videtur, consensum illum inter librum G et excerpta Parisina ea re explicandum esse quod is qui illum librum exaravit non nullas excerptorum scripturas aut ex ipsis aut, quod mihi veri similius videtur, ex codice in quo adscriptae erant sumpsit. Hoc autem si verum est, apparet totam illam Baehrensii de secunda codicum classe solo G repraesentata sententiam corruere.

Non autem ignoro argumentationi meae aliquid opponi posse. Meynkius enim suspicatur[2]) excerptorem priusquam ipse suum librum exaravit eam singulorum locorum formam quam ipse in excerpta recipere voluit in codice quo usus est adscripsisse. Hoc autem si verum est, eorum de quibus supra egi locorum rationem facile aliquis ita explicare potest ut G ex eo libro in quo excerptor suas mutationes adscripserat ductum esse, librarium autem his locis non id scripsisse quod in textu invenit, sed ea quae adnotata erant, quae fortasse putavit emendandi causa adscripta esse. Contra hanc autem sententiam primum monendum est totam illam

---

[1]) In hac re eum errasse non mirum est; Lygdamus enim hic ut saepius in hoc carmine ita locutus est quasi nihil intentius ageret quam ut sententiarum connexum quam maxime obscuraret.
[2]) In musei Rhenani volumine XXV, pag. 374.

Meynkii opinionem non ita firmis argumentis niti videri. Nam quod non nulli versus in altero excerptorum codice in rasura scripti sunt, hoc aliis erroribus non minus potest factum esse, neque necesse est id ita explicetur ut excerptor primum id quod in codicis textu erat scripserit. Iis autem locis quibus alter excerptorum codex cum nostris libris consentit alter ab iis discrepat, nostrorum librorum scripturam ab excerptore servatam, alteram autem ita ortam esse ut in ipsis excerptis describendis erraretur mihi persuasum est.[1]) Deinde, cum multi sint excerptorum codices, unum eorum eum esse quem ipse excerptor exaraverit, etiamsi sit omnium vetustissimus, unde tamen quis sciat? Immo mihi videtur hoc certo negari posse. Baehrensius enim[2]) duos excerptorum codices commemorat, qui cum in ceteris cum libris Parisinis conspirent unum tamen versum in illis non exstantem exhibent. Hunc autem ex pleno Tibulli exemplari sumptum esse nemo putabit; immo apparet excerptorum quoque textum duabus classibus propagatum esse, quarum altera hunc versum servavit altera omisit, utraque autem ex ipsius excerptoris exemplari, quod illum versum sine dubio continebat, ducta est. Sic igitur apparet Meynkii coniecturam falsam esse. Sin tamen quis eo quo Meynkio visum est modo egisse excerptorem suspicetur, huic sententiae per se nihil obstat, neque puto aliter ab iis qui Baehrensii de libro G sententiam retinent illorum de quibus supra disputavi locorum rationem expediri posse. Hoc autem si quis probat, necessario iis libri G scripturis quibus ipse Baehrensius plurimum tribuit fides omnino abroganda est; quod enim in illos locos cadit, in omnes cadere potest quibus G et excerpta conspirant. Sane ipsa sententia nihilo minus stare posset; sed reputandum est Baehrensii iudicium sic immutatum carere illa simplicitate qua antea plerisque commendatum esse mihi videtur. Itaque quamquam iudicari fortasse potest, nondum certo constare Baehrensii de libro G sententiam falsam esse, tamen hoc certe ostendisse mihi videor, affinitatem illam qua ille liber cum

[1]) Secundo huic Meynkii argumento multo plus tribuendum esset, si exstarent scripturae hoc modo discrepantis exempla quibus ea scriptura in qua alter excerptorum codex cum libris consentit ita comparata esset ut eam ab excerptore servari non potuisse certo demonstari posset. Talia autem exempla in iis quidem quae Meynkius attulit non occurrunt.

[2]) Praefatio pag. XXVI.

excerptis Parisinis coniunctus est ad eam comprobandam non sufficere.

Sed etiamsi hoc ita se habet, tamen fieri posset ut codex G tam multas praeclaras lectiones exhiberet ut ei plus auctoritatis quam ceteris tribuendum esse vel ex iis appareret. Et sic re vera Baehrensius sensit, qui hac opinione ductus saepe in textu constituendo hunc codicem dissentientem cum ceteris secutus est. Itaque ipsis his scripturis examinatis quaerendum est quae codici G auctoritas tribuenda sit. Sed priusquam ad hanc quaestionem accedamus, de alia re mihi disputandum est qua Baehrensii sententia confirmari alicui videri facile possit.

Lachmannus praeter codices de quibus egi usus erat adnotationibus quas Franciscus Puccius anno 1502 ad exemplar editionis Regiensis anni 1481 adscripserat. Has adnotationes vir aliquis doctus non multo post in exemplar editionis Vicetinae eiusdem anni transtulerat. Hoc Lachmanno praesto erat, qui Puccium dicit posse videri libro nostris antiquiore usum esse.[1]) Post Lachmannum Muellerus hanc rem attigit,[2]), qui omnem Puccii adnotationibus fidem abrogavit eumque membrana nostris libris vetustiore aut integriore usum esse praefracte negavit. Contra Baehrensius[3]) non modo Lachmanni sententiam prorsus comprobavit, sed, cum vidisset saepius inter se consentire Puccii adnotationes et libri G lectiones, maxime eas quae a secunda manu adscriptae sunt, ex ipso illo codice Puccii adnotationes sumptas esse posuit. Sic igitur Lachmanni iudicium ad hunc codicem referendum esset. Sed huic Baehrensii coniecturae, quamvis speciosa sit, tamen non nulla obstant. Puccius enim saepius Ioviani Pontani scripturas ita affert ut de iis dicat „Pontanus posuit, legit“ et similia. Eiusdem Pontani nomen occurrit in iis quae a secunda manu in G adnotata sunt. Cum autem lectiones a Puccio Pontano tributae non modo cum secunda sed etiam cum prima codicis G manu conspirent, cumque ipse G a Pontano scriptus esse ex Baehrensii quidem sententia nullo modo possit — natus enim est Pontanus anno 1426 — statuendum est Puccium ea re errasse quod, cum Pontani nomen a secunda manu

[1]) Praefatio pag. VII et VIII.

[2]) Praefatio pag. XI.

[3]) Praefatio pag. IX ff.

commemoratum esse vidisset, ipsum codicem ab illo scriptum esse putavit. Talis autem error in huius aetatis viro docto non sine dubitatione statui potest, cum praesertim Pontanus summa illis temporibus fama floruerit, eoque anno quo Puccius adnotationes suas scripsit etiam vixerit. Praeterea si quis omissa illa Baehrensii sententia ex ipsis adnotationibus quo ex fonte ducti essent quaereret, suspicaretur earum plerasque e Pontani aliqua recensione, cui ipse adnotationes non nullas criticas addiderat, esse sumptas. Cum enim non nullis locis Pontani nomen commemoretur, idque fere semper fiat ubicumque brevem de loci scriptura disputationem Puccius addit, alius viri docti nomen non occurrit. Atqui ex Baehrensii sententia eas scripturas a Puccio adnotatas quae in libro G non occurrunt ab aliis viris doctis profectas esse necesse esset. Accedit quod plerarumque adnotationum natura fere eadem est.[1]) Has autem Pontani scripturas ex exemplari ab eo recognito sumptas esse appareret ex adnotationibus ad II, 5, 39, ubi Puccius tradit „una elegia cum superioribus coniungitur", G autem novam elegiam incipit, et ad III, 4, 65 ubi Pontanus dicitur versum aliquem ex vetusto codice reposuisse. Atqui veterem illum codicem fictum esse a Pontano concedi facile potest; a Puccio autem quo consilio fingi potuerit non video. Scripta igitur fuisse haec verba in ipso codice quo Puccius usus est veri est simile, e Guelferbytano tamen nihil tale tradit Baehrensius.[2])

His sane causis facile potest aliquis adduci ut Baehrensii sententiam non veram esse, sed Pontani scripturas et a G libri correctore et a Puccio ex eadem Pontani recensione sumptas esse suspicetur. Tamen negari non potest Baehrensii sententiae duas satis graves rationes favere. Primum omnes eae scripturae quae Pontano expressis verbis tribuuntur, quae tamen sunt non multae, inveniuntur aut a prima aut a secunda manu in libro G. Deinde si correctorem

[1]) Prorsus seiungendae sunt eae adnotationes quae voculis „vel" aut „aliter" inducuntur. Eas enim non a Puccio profectas sed ab eo qui illius adnotationes transtulit aut etiam postea additas esse et equidem veri simile duco et videtur fuisse Lachmanni sententia.

[2]) Cum Puccio facit Perreius, quem Lachmannus tradit ad exemplar editionis Aldinae anni 1515 adnotasse Pontanum hunc versum „ab illo ut asserebat codice" sumpsisse; sed quaerendum est an Perreius hoc ipsum e Puccii adnotationibus hauserit.

codicis G eadem Pontani recensione qua Puccium usum esse statuimus, explicatur consensus qui est inter correctorem et Puccium, non explicatur is qui inter primam codicis manum et Puccii adnotationes intercedit. Ex hac igitur sententia praeterea statuendum esset eum codicem quem Pontanus suae recensionis fundamentum fecit cum G artiore affinitate coniunctum fuisse. Quod quamquam fieri poterat, cum praesertim G saepissime cum eo textu consentiat quem illis temporibus divulgatum fuisse ex interpolatis libris apparet, tamen Baehrensii rationem simpliciorem esse concedendum est.

Omnibus igitur perpensis certum de hac Baehrensii sententia iudicium proferre non audeo. Atqui si vera esset illa sententia, eae Puccii adnotationes quae non inveniuntur in G ut nescio unde petitae prorsus spernendae essent. Contra si eam falsam esse constaret, illae lectiones non minus quam eae quas G quoque exhibet e Pontani recensione fluxisse possent. Cum autem Pontanus vetusto codice usum se esse dicat, eae quoque lectiones ex illo codice sumptae esse possent, quod optime cum sententia illa Lachmanni consentiret, quam ille tamen admodum dubitanter protulit, posse dicens eas videri e codice nostris vetustiore derivatas esse. Itaque ne quid quod ad Tibulliani textus traditionem pertinet omittam, nunc mihi haec Lachmanni sententia examinanda est. Mihi autem dubium non videtur quin Lachmannus de hac re non recte iudicaverit. Nihil enim a Puccio affertur quod non a quinti decimi saeculi viro docto coniectura inveniri potuerit. Quod ut appareat omnes eos locos quibus Lachmannus e solis Puccii adnotationibus scripturam aliquam in textum recepit ita in unum locum conferam ut eos locos quibus Lachmannus non recte Puccium secutus esse mihi videtur uncis includam:

	A B C	Puccius
I, 4, 55	afferet	offerret
I, 5, 7	parce	per te
I, 5, 28	pro segete et spicas	pro segete spicas
I, 5, 45	Nereis quae Pelea	Nereis Pelea
I, 6, 70-72	possum, putat, ducor, proripior	possim, putet, ducar, propiar
(I, 6, 72)	proprias	pronas
I, 7, 13	At te Cydne canam	An te Cydne canam?

I, 7, 54 Mopsopio dulcia mella	Mopsopio dulcia melle
I, 9, 44 sed	et
II, 1, 54 duceret	diceret
II, 1, 66 appulso	applauso
II, 1, 67 ipse quoque inter agros	ipse interque greges
(II, 2, 9 et 3, 1) Cornute	Cerinthe
II, 3, 62 terra	certa
II, 4, 36 ipse	ille
II, 5, 71 haec	hae
II, 5, 72 deplueritque	deplueretque
III, 3, 22 gerit	regit
(III, 4, 1) mihi somnia	insomnia
(III, 4, 64) fide	prece
III, 5, 29 At nobis	At vobis
(III, 6, 52) precor	procul
IV, 1, 24 et	at
IV, 1, 71 orbe	ore
IV, 1, 72 freta	fera
IV, 1, 129 multa silentia	muta silentia
IV, 1, 136 sunt	sint
IV, 5, 17 sed tutius optat	sed tectius optat
(IV, 8, 8) quamvis	quoniam
IV, 11, 5 quid (sic F)	si

In his sunt sane multa ingeniose coniecta, sed omnium horum locorum ea est natura ut mutationis causa facile appareat. Contra prorsus diversae textus formae, qualis in Cuiaciano exstabat, nullum omnino vestigium apparet. Non nulla autem exempla occurrunt cum in his tum iis locis quibus ne Lachmannus quidem Puccium secutus est, quibus poetae sententiam, quia non facilis erat ad intellegendum, ab interpolatore depravatam esse demonstrari possit. Sed hoc, ne longius ab ea re de qua nunc agitur aberrem, persequi nolo.

II.

Supra vidimus Baehrensii sententiam qua solo libro G alteram codicum familiam repraesentari putat externis argumentis non confirmari. Tamen eam sententiam non veram esse nondum demonstratum est. Posset enim fieri ut ex ipsis codicis scripturis rem ita se habere appareret. Et re vera, si eum textum sequerer quem Baehrensius constituit, multis locis iudicandum esset verum in solo G servari quod

in altera quam ille ponit familia depravatum esset. Sed mihi videtur, ut iam nunc vere quid sentiam profitear, ne uno quidem eorum locorum quibus illa quam veram putabat codicum ratione ductus novam sententiam protulit recte Baehrensius iudicasse. Et si quis eam viam quam Baehrensius ingressus est amplius persequi itaque editionem instituere vellet ut codicis alicuius scripturas, si sensum aliquem praebent, reciperet, si non, ad coniecturam iis uteretur, apparet hoc modo quidlibet posse demonstrari. Sane ipse Baehrensius non eo progressus est; tamen ipse quoque in Tibullo ut antea in Catullo et magis etiam nuper in Propertio satis luculenta huius rei exempla praebuit. Sed de singulis locis postea mihi disputandum erit; ipsa Baehrensii sententia facilius potest refutari. Bene enim evenit ut in aliqua saltem Tibulli parte codicum auctoritatem omissis variis illis de singulorum locorum vera scriptura sententiis e certo fragmenti Cuiaciani testimonio examinare liceat. Ponamus autem, quae est Baehrensii sententia, G alterius familiae unicum testem esse, ponamus deinde hanc familiam cum ceteris codicibus multo artiore affinitate coniunctam esse quam cum Cuiaciano, ponamus denique longe maximam partem eorum vitiorum quibus nostros codices inquinatos esse e Cuiaciani testimonio apparet in communi utriusque familiae archetypo, quod saeculo nono exaratum esse Baehrensius suspicatur, ortam esse; omnia haec Baehrensio largiamur, tamen fieri non posset quin non nulla certe horum vitiorum non ab illo noni saeculi librario sed ab eo qui saeculo duodecimo vel tertio decimo, ut Baehrensius ponit, ceterorum praeter G archetypum exaravit profecta essent. Exspectandum igitur esset unum certe et alterum locum inveniri quo G cum Cuiaciano verum, quod in ceteris omnibus libris depravatum esset, exhiberet. Re vera autem ne unus quidem huius modi locus invenitur.[1]) Tamen si vera esset Baehrensii sententia, in hac carminum parte Guelferbytani praestantiam clarissime apparere necesse esset. Contra permagnus est numerus eorum locorum quibus G cum ceteris codicibus in vitiis gravibus et apertis consentit; quorum paucos tantum hic afferam. Exhibet igitur

[1]) Si Baehrensius recte iudicasset ex codicibus Ambr et V ceteros huius familiae ductos esse, huc pertineret versus IV, 1, 40. Sed ibi quoque verum coniectura a libri G scriptore inveniri facillime potuisset.

F	Ceteri, in quibus G
III, 5, 10 trita venena	certa venena
III, 6, 23 qualis	deus hic
IV, 1, 55 lothos	cyclops
IV, 1, 142 ardet arectais	creteis ardet
IV, 1, 142 perhospita	carystia
IV, 1, 175 ierint	poscent
IV, 1, 189 ante actos	accitus
IV, 1, 200 vincere	mittere
IV, 3, 3 proelia	pectore
IV, 5, 1 qui mihi te	est qui te
IV, 9, 2 iam licet	non sinet

His paucis exemplis e multo maiore numero selectis rem confectam idque iam pro certo demonstratum esse puto, dubitari non posse quin hic codex ex eodem quo ceteri archetypo derivatus sit. Hoc autem si verum est, eius pretium valde imminui apparet. Etiamsi enim G ex ipso archetypo descriptus esset, tamen, cum iam tres habeamus classes ex eo ductas, si quarta accederet, non multum iuvaremur. Sed ut ne hoc quidem concedam ea re adducor quod saepe G scripturas uni harum classium, maxime secundae, proprias sequitur. Sic tradit G cum secunda classe I, 7, 42 „cuspide“ pro „compede“, II, 5, 64 „noscat“ pro „vescar“, IV, 1, 55 „tempus“ pro „coeptos“, nec minus huc pertinet III, 4, 47, ubi in archetypo scriptum erat „euique“ (aevique), quod cum levissime depravatum esset in „cuique“ in secundae classis archetypo, B et G scripturam sententiae et metro satisfacientem ita efficere studuerunt ut alter „cuicumque“ alter „cuiusque“ scriberet. Non nullis autem locis sequitur G scripturas libri A proprias, velut I, 10, 26 „mystica“, III, 4, 9 „vanum (vel „varium“) ventura“. Minus certa exempla licet afferre quibus G et C inter se consentiant. Ex his autem exemplis apparere mihi videtur G eo tempore scriptum esse quo trium illarum classium, certe primae et secundae, archetypa iam exstabant, ex illisque huius libri textum mixtum esse.

Quae si recte disputata sunt, sequitur iam quaecumque in hoc libro praeter scripturae menda ab archetypi lectionibus recedant ea interpolatione orta esse. Hoc autem rursus fortasse clarius apparebit examinatis iis locis quibus quid legendum sit alio testimonio constat. IV, 1, 18 et

IV, 5, 7 G temere verborum collocationem immutavit, nec minus IV, 1, 27 interpolatione scripsit „nomine“ pro „carmine“, IV, 1, 39 „nec quisquam“ ex excerptis Parisinis pro „nam quis te“, IV, 1, 110 „et alpinis“, cum in codicibus sit „et arpinis“, verum „arupinis“ a solo F servatum sit. Etiam IV, 3, 20 usitatum verbum „tende“ reposuit pro „tange“, quod diversum sed hic aptiorem sensum praebet, quodque praeter codices etiam F exhibet. Similiter I, 4, 33 „vidi ego iam“ pro „vidi iam“ (ex comparatione similis versus I, 2, 89), II, 6, 21 „et sulcis“ pro „spes sulcis“, denique III, 3, 22 „regit“ quod verum est, pro „gerit“ non ex vetere traditione in G scriptum esse docent excerpta Frisingensia. Duo tantum praeterea affero exempla quibus interpolationem in G admissam fere manibus tenere liceat, alterum IV, 1, 1, ubi cum „mea“, quod rectum sensum non praebet, traditum sit, pro eoque aut „tua“ aut „me“ conici possit, utrumque in G scriptum est, et IV, 1, 139, quo loco ceteri codices exhibent „tetereo“, primae literae repetitione depravatum e „Theraeo“, G aperta coniectura „Threicio“ reposuit.

In hanc autem quam protuli de huius codicis fide sententiam non quadraret si loci invenirentur quibus ille veram aliquam scripturam exhiberet quae coniectura inveniri non facile potuisset. Huius modi autem loci cum ex Baehrensii sententia haud pauci occurrant, iam mihi omnes ii loci examinandi sunt quibus Baehrensius huius libri auctoritatem secutus a ceterorum codicum scriptura recessit. Atque primum quidem ii loci mihi breviter commemorandi sunt quibus Baehrensii iudicio assentior; quorum longe plurimis scripturae a Baehrensio receptae iam ante inventum G ex aliis testimoniis notae erant. Etiamsi autem in G primo traditae essent, tamen ex iis nihil de codicis fide sequeretur, quoniam omnes praeter eas quas ex excerptis Parisinis sumptas esse puto coniectura quoque inveniri potuisse mihi persuasum est. Omissis igitur scripturis illis ex excerptis Parisinis haustis, quibus quae fides tribuenda sit ad hanc quaestionem nihil interest, omnes locos quibus G recte ab eo quod in archetypo traditum fuisse puto recedit ita colligam ut primo loco ponam eas lectiones quae iam ex aliis codicibus aut Puccii adnotationibus notae erant, secundo eas quae iam dudum coniectura inventae sunt. Ipse Baehrensius, ut iam dixi, ob codicis G auctoritatem nihil

in textu novavit quod mihi persuaderet, nisi quod I, 1, 29 iure „bidentem“ ex G et excerptis Parisinis recepisse videtur, qua de re iam supra (pag. 33) egi.

X	G
I.	
I, 1, 54 exiles	hostiles
I, 5, 7 parce	per te
I, 5, 28 pro segete et spicas	pro segete spicas
I, 5, 76 nam	nat
I, 6, 18 lasso sinu	laxo sinu
I, 6, 70 possum	possim
I, 8, 1 non ego celare possum	non ego celari possum
I, 8, 2 levia verba	lenia verba
I, 8, 51 sentica	sontica
I, 9, 36 fluminis	fulminis
II, 1, 9 omnia sunt operata deo	omnia sint operata deo
II, 1, 54 duceret	diceret
II, 1, 67 ipse quoque inter agros	ipse interque greges
II, 4, 36 ipse	ille
II, 5, 69 quodque	quasque
II, 6 17 mihi dura precari	mihi dira precari
II, 6, 45 lena vetat miserum	lena necat miserum
II, 6, 49 ubi nox mihi promissa est	ubi nox promissa mihi est
III, 1, 21 meritum	meritam
III, 3, 24 et sine te	at sine te
III, 4, 17 . . . mersa	. . . mensa
III, 4, 50 quidque	quodque
III, 4, 87 consanguinea	canis anguinea
III, 5, 13 meditantis	meditantes
III, 5, 29 At nobis	At vobis
III, 6, 30 facta tua	fata tua
IV, 1, 24 et	at
IV, 1, 108 Iapygiae	Iapydiae
IV, 1, 174 exsurgitat	exsurgunt
II.	
I, 5, 74 ipse	usque
I, 8, 49 Seu Marathum torque	Neu Marathum torque
I, 9, 31 nullo tibi divitis auri	nullo te divitis auri

II, 1, 88 thoro	choro
II, 1, 89 fulvis	furvis
II, 4, 17 equalis	et qualis
II, 5, 116 ferent	feret
IV, 5, 4 dederant	dederunt

Omnibus his locis verum hominis docti coniectura inveniri potuisse apparet. Sed venio iam ad eos locos quibus non recte Baehrensius Guelferbytani auctoritati obsecutus esse mihi videtur.[1])

Versum I, 1, 78 G hac forma exhibet:

Despiciam dites despiciamque famem,

cum eoque faciunt excerpta Parisina et B, ceteri autem codices inverso ordine scribunt:

Dites despiciam despiciamque famem.

Atque equidem non dubito quin libri B et G suam collocationem ex excerptis petiverint. Utrum autem verum sit ex ipsa re mea quidem sententia diiudicari nullo modo potest. Itaque non mirandum est de hoc versu secum ipso pugnare Baehrensium, qui, cum in libro suo scripturam plerorumque codicum magis e Tibulli usu esse contendisset, invento Guelferbytano in editione magna cum fiducia prorsus contrariam sententiam protulit.[2]) Est igitur hic locus inter eos quibus iudicium nihil valet, omnia ex auctoritate pendent; sed ne ea quidem rem certo diiudicari posse ex iis quae supra de excerptorum Parisinorum fide disputavi apparet.

I, 2, 5 et 6 codices tradunt

Nam posita est nostrae custodia saeva puellae,
clauditur et dura ianua firma sera.

Solus G pro „firma“ scribit „fulta“. Hic locus Baehrensio luculentum G codicis praestantiae documentum videtur esse. „Fulta“ enim et per se exquisitior est lectio, et usus est hoc verbo eodem modo Ovidius, ars am. II, 244:

---

[1]) De horum locorum non nullis rectius quam Baehrensius iam disputavit Rossbergius l. l.

[2]) Tibullische Blätter pag. 62: „Wo wiederum das in die Ausgaben aufgenommene „despiciam dites“ von B der Tibullischen Art weniger entspricht“. Praef. pag. XIV: „Denique v. 78 „despiciam dites“ magis esse ex usu Tibulliano (cfr. I, 4, 82; II, 5, 105; II, 6, 9) libenter mihi concedetur“. Mihi tota haec res minus ex usu quam ex metricis rationibus pendere videtur. Iis quidem locis quos Baehrensius affert ne poterat quidem poeta aliter loqui.

Si tibi per tutum planumque negabitur ire
atque erit opposita ianua fulta sera.

Ovidium igitur hoc loco Tibullum imitatum esse, apud eum autem „fulta" ex hoc uno codice reponendum esse Baehrensius ponit. Concedendum est admodum speciosam esse hanc sententiam; tamen iam Rossbergio ea non placuit, iure, ut mihi videtur, quamquam causam offensionis non aperuit. In hac enim scriptura non apparet num ablativus „dura sera" ad „clauditur" an ad „fulta" referendus sit; carere enim eo neutrum verbum potest. Sane solent in talibus locis dicere ad utrumque verbum casum pertinere, et fortasse re vera non numquam res sic accipi potest. Tamen non puto apud huius quidem aetatis poetas exempla huius usus inveniri quibus non alterum certe horum verborum etiam non addito casu intellegi possit. Si igitur Tibullus dixisset: „Clausa est ianua dura sera fulta", tolerari hoc posset, quoniam perfecto absolute uti poterat poeta, praesenti non item. Contra Ovidii locus nullam difficultatem praebet. Itaque recte Rossbergius ex Ovidio „fulta" in G librum pervenisse suspicatur, quod ille, quia in summa re Baehrensio assentitur cum eoque G e decimi vel undecimi saeculi codice descriptum esse putat, eo tempore factum esse ponit. Hoc cogitari posse praefracte negavit Baehrensius, cuius iudicio quamquam in talibus aliquid tribuendum esse concedo, tamen hic quidem non video cur, si excerpta Parisina, quae sine dubio non post duodecimum saeculum orta sunt, ob metricas rationes secundum Ovidii exemplum correcta sunt, quod ne Baehrensius quidem negat, idem in G libri archetypo ob alias causas fieri non potuerit. Sed nihil refert quid de hac re iudicemus. Etiamsi enim quis Baehrensii de codice G sententias probat, tamen hoc quidem loco nulla re impeditur quo minus saeculo quinto vel quarto decimo interpolationem ortam esse statuat. Praebere autem hic G interpolationem ex Ovidii loco ductam mihi quidem persuasum est et fortasse clarius etiam apparebit e sequente exemplo, quo eadem res certissime demonstrari posse mihi videtur.

In eiusdem enim carminis versu 19 ff. de Venere dicitur:

Illa docet molli furtim derepere lecto,
illa pedem nullo ponere posse sono,
illa viro coram nutus conferre loquaces
blandaque compositis abdere verba notis.

Solus autem G hoc loco pro „nutus" „vultus" praebet, rursusque attulit Baehrensius Ovidii locum quo libri G testimonium confirmari ei videtur. Ovidius enim in amoribus I, 4, 17 puellam, quae una cum marito eandem quam Ovidius coenam aditura erat, quid ei faciendum sit docet quibus in praeceptis illud quoque est:

Me specta nutusque meos vultumque loquacem.

Sed mihi videtur hoc quoque loco „vultus" aptissimum esse apud Ovidium, ne ferri quidem posse apud Tibullum. Cum enim „nutus conferre" non minus bene dicatur quam „verba conferre", „vultus conferre" omnino intellegi non potest nisi sensu ab hoc loco prorsus alieno. Conferri enim hoc quidem sensu ea tantum possunt quae ab altero ad alterum perveniunt. Itaque hoc quoque loco eum qui librum G scripsit Ovidii verbum in Tibullum intulisse, ab ipso Ovidio autem hunc locum non tam fideliter expressum quam, ut fieri apud eum solet, eius animo obversatum esse puto.

I, 2, 50 prorsus apte G solus scribit:

Cum libet, haec tristi depellit nubila caelo:
cum libet, aestivas convocat ore nives.

Neque tamen hoc exquisitius aut melius est quam quod ceteri codices exhibent:

Cum libet, aestivo convocat orbe nives.

I, 2, 52 G cum ceteris codicibus dissentit inter „Hecate" et „Hecates". Utrum verum sit diiudicare non audeo. Omnino enim certam rationem in hac re poetas Latinos secutos esse mihi non videtur veri simile. In universum sane recte dici poterit quo magis usitatum verbum aliquod poetis Romanis sit, tanto saepius eos latina declinatione uti.[1]) Hanc autem certam legem non esse apparet. Itaque tutius sine dubio est codices sequi, quamvis parva fides iis tribuenda sit; ibi autem ubi in genitivis „ae" et „es" traduntur, paulo sane veri similius videtur formas in „ae" vel „e" a librariis non recte intellectas ob eamque rem mutatas esse. Sed ad rem non multum interest.

I, 2, 74 nullam offensionem praebent verba tradita:

Et te dum liceat teneris retinere lacertis,
mollis et inculta sit mihi somnus humo.

Codicis G autem librarius, cum „et" pro „etiam" accipiendum esse non videret, pro eo reposuit „in". Fortasse etiam ad

[1]) Cfr. Muellerum in praefatione ad Propertium pag. XXVI.

ablativum praepositionem desideravit, qua carere nos posse neque per se dubitabitur et apparet comparatione similis apud Propertium loci I, 18, 28, quo iam Heynius usus est.

Versu I, 3, 13 supra (pag. 63) dixi videri in archetypo fuisse „tamen est deterrita numquam“; G cum non nullis aliis libris habet „nusquam“, quod quamquam sensum aliquem praebet tamen alterum mihi longe aptius videtur. Baehrensius tamen „nusquam“ in textu posuit.

I, 3, 63 G „ac iuvenum series“ scribit, aut interpolatione aut quia id in secundae classis libro invenit. Illud tamen certum est, id mera interpolatione ortum esse, cum librarius aliquis usu illo Tibulliano de quo pag. 64 dixi offensus esset.

I, 5, 27

Illa deo sciet agricolae pro vitibus uvam,
pro segete spicas, pro grege ferre dapem.

In his versibus sane potest aliquid offensioni esse. Poeta enim commemorat gregem, segetem, vites, ceteros autem fructus omittit. Tamen haec offensio non ita magna esse mihi videtur. Neque enim desiderari debet a poeta ut omnia accurate enumeret; illi ea commemoranda sunt quae eam rem reputantibus facillime in mentem venire poterant, vitium autem cultura in Tibulli quidem praedio longe maiorem locum obtinebat quam arborum fructus. Tamen hanc difficultatem evitare studuit libri G scriptor, qui „pro fructibus“ reposuit, quod etiamsi verum esset, tamen coniectura hanc lectionem ortam esse mihi videretur valde veri simile. Vera autem quo minus mihi videatur ea res impedit quod, si G sequimur, difficultas certe non minor oritur. Pro vitibus enim uvam libari consentaneum est, pro fructibus autem hoc non ita apte fieri poterat; certe non consentit cum eo more de quo Tibullus ipse locutus est I, 1, 13:

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus
libatum agricolam ponitur ante deum,

quem in morem altera scriptura sine dubio melius quadrat. Accedit quod Tibullus frugum vel fructuum nomine solet poma et frumentum complecti, non, quod hic statuendum esset, poma et vites una significatione coniungere.[1]) Itaque „vitibus“ retinendum esse mihi persuasum est.

[1]) Comparandi sunt in primis versus I, 1, 9, quo loco Dissenus de hac re monuit, et I, 5, 21.

Sequente versu apparet poetam ab iis quae futura esse animo finxerat ad ea quae sibi optabat, quod hic non rerum sed cogitationis discrimen est, transire. Sed quaeritur ubi nova haec cogitatio incipiat. Atque ante Baehrensium iam inde ab initio sequentis distichi coniunctivus ponebatur:

Illa regat cunctos, illi sint omnia curae.

Baehrensius autem G secutus, quamquam ipse de eo quod a prima manu scriptum erat dubitat, „reget“ recepit, quod mihi quidem videtur multo deterius esse. Sic enim apparet pauca haec verba „illa reget cunctos“ cum antecedenti disticho arte coniungenda, a sequentibus secernenda esse, prorsus contra Tibulli in componendis distichis consuetudinem.

I, 6, 5 G praebet „iam mihi tenduntur casses“, quod si solum traditum esset optime ferri posset. Tamen magis etiam mihi placet „nam“, quod est in ceteris codicibus. Hoc enim aptissimum sententiarum progressum efficit: An gloria magna deo est mortali insidias componere? Insidias dico, nam mihi tenduntur casses. Iam Delia e. q. s.

I, 6, 42 unice vera esse mihi videtur Statii emendatio ab Hauptio recepta

Stet procul ante, alia stet procul ante via,

non solum quia facillima est — nam pro „ante“ priore traditum est „aut“, — nec quia aptum sensum praebet, quod de ceterarum emendationum quae ad hunc locum prolatae sunt plerisque negandum est, sed quia haec sola certa ratione et via inventa est. Cum enim verba „stet procul“ ex antecedentibus repetantur, haec res non tentanda sed contra ea ad cetera emendanda utendum est. Repetitione autem illa, qua solent viri docti offendi, saepius Tibullus iis quoque locis usus est quibus si sensum respicimus tanta orationis vis non desideratur. Aptissime autem a iuvenibus petit poeta ut priusquam in illam viam qua Delia progreditur intrent alia via consistant et exspectent dum Delia praeterierit. Baehrensius, ut hic quoque Guelferbytanum suum, qui „atque“ pro „aut“ praebet, sequi possit, totum locum immutavit. Coniecit enim sine ulla probabilitate „se auferat“ pro secundo „stet procul“, qua coniectura quamquam sensum qui ferri posset effecit, tamen omni ex parte placere eam posse nego. Sane „se auferre“ usitatum est apud poetas comicos, sed quod apud illos aptum est non semper aptum est in Tibullo, hoc praesertim loco, quo magnae sa-

cerdotis vaticinium narratur. Nemini, ut puto, placeret si quis in Germanica huius loci interpretatione poneret „der packe sich fort", quod illi „se auferat" plane respondet.

Versuum I, 6, 71 et 72 forma non satis constare mihi videtur. Lachmannus enim eos sic exhibet:

Et si quid peccasse putet, ducarque capillis
immerito pronas proripiarque vias.

Sed ut omittam bonos codices non „putet", quod Puccius tradit, sed „putat" exhibere, pro quo alii Itali fortasse recte „puter" coniecerunt, „pronas" quoque Puccii coniecturae, ut mihi videtur, debetur; in codicibus enim est „proprias." Fateor autem me quid illud „pronas" hic ad rem afferat non intellegere, totam autem imaginem, quae ea loci forma quam Lachmannus secutus est oritur mihi admodum mirabiliter in maius auctam videri. Quid sententiae aptum esset recte sensisse videtur Baehrensius, qui locum ita immutavit ut hic sensus evaderet: „Non modo domi ducar capillis sed etiam in publicas vias proripiar", scilicet quo maior ignominia sit. Atqui in emendando hoc versu valde dubito num a codicum scriptura „proprias" proficiscendum sit. Illud enim ita oriri facile poterat ut bis scripto initio sequentis verbi verum e suo loco pelleretur. Itaque fortasse aliquis Baehrensium ex parte secutus conicere possit:

Et si quid peccasse putet, ducarque capillis
immerito in medias proripiarque vias,

quamquam prorsus incertam esse hanc coniecturam concedendum est. Baehrensius autem, quamquam summam sententiam recte percepit, tamen in singulis longe a vero aberrasse mihi videtur, hic quoque in errorem ductus singulari libri G scriptura, quam equidem coniectura ortam esse puto. Ibi enim cum invenisset „properans", totum locum gravissimis mutationibus sic restituit:

Et si quid peccasse putor, ducatque capillis
in medias properans proripiatque vias.

Sed mihi illud „properans" mirum quantum displicet; certe multo maior vis inesset sententiae, si illud deesset. Cum autem appareat Baehrensium ut illud teneret tentasse quae tentare non debebat, velut illud „immerito", eius sententia mihi videtur prorsus reicienda esse.

I, 7, 3 G exhibet, quod Baehrensius recepit, „frangere" pro „fundere", nulla sententiae immutatione. Hic quoque G libri scriptorem ingenio indulsisse puto, cui sententiae

non obstat quod hic certa interpolationis causa non perspicitur. Nam cum libri G scriptorem vetustam scripturam per fraudem imitatum esse supra viderimus, eundem cogitari potest codicis sui pretium ita augere studuisse ut quam plurimas scripturas antea ignotas in eum inferret.

I, 7, 23 coniunctivus „possim" sine dubio prorsus aptus est, pro quo tamen in libris C et G, quem Baehrensius secutus est, indicativus traditur.

I, 7, 47 G libri scriptura „et dulci tibia cantu" fortasse paulo magis placet quam quod ceteri libri exhibent „et dulcis tibia cantu". Tamen hoc quoque satis aptum esse nemo negabit.

I. 7, 54 quanta fides Guelferbytano tribuenda sit clarissime potest perspici. Hunc enim versum ceteri codices, si varias nominis proprii scripturas omittimus, sic exhibent:

Tibi dem turis honores
liba et Mopsopio dulcia mella feram.

Hoc sane rectum sensum non praebet, sed is facile potest effici si „dulcia mella" vitio maxime usitato e „dulcia melle" ortum esse statuimus, idque intellectum iam est a Puccio. Idem autem quod nostri libri exhibent etiam is qui librum G scripsit in suo exemplari invenit, qui cum verba corrupta esse videret, ubi autem vitium lateret non intellegeret, aliam emendationis viam ingressus est. Scripsit enim ille:

Tibi dem turis honores
libem et Mopsopio dulcia mella favo.[1]

Hoc si ferri posset, et si re vera G alterius familiae unicus testis esset, tamen ratio doceret eam scripturam praeferendam esse quae, cum ipsa aptum sensum non praebeat, ita comparata est ut is facillima mutatione effici possit. Sed quamquam G libri scriptura primo aspectu placere facile potest et placuit Baehrensio, tamen ne potuisse quidem sic scribere Tibullum pro certo audeo affirmare. Non offenderer si sic locutus esset Propertius; apud eum enim ablativum „Mopsopio favo" ex huius poetae more, de quo constat, ita accipere liceret ut paene esset pro genitivo. A Tibullo autem quoniam hic usus alienus est, non possunt

---

[1]) Quod litera a in „mella", ut Baehrensius tradit, correctura scripta est, hoc casu factum esse mihi videtur; neque enim dubito quin illud a prima codicis manu profectum sit.

aliter verba inter se coniungi nisi ita: Libem mella dulcia Mopsopio favo. Atqui „favus" significat quod nos dicimus „die Honigscheibe", mel id ipsum quod dicimus „Honig", et quamquam fortasse concedendum est haec verba non numquam inter se permutari posse, tamen non licet rem ita prorsus invertere ut, cum favus constet melle, mella constare favo dicantur. Itaque hic certe dubitari non potest quin G libri scriptura ita orta sit ut levissimum scripturae mendum gravissimae interpolationi ansam daret.

I, 8, 9 utrum cum G et excerptis Parisinis scribendum sit

Quid tibi nunc prodest molles coluisse capillos?

an cum ceteris libris inverso ordine „molles prodest" apparet diiudicari non posse. Similiter de eorundem testium in sequenti versu discrepantia „saepe et" pro „saepeque" iudicandum est.

I, 8, 11 editores plerique scribunt „quid suco splendente genas ornare", quamquam „suco" non exstat nisi in altero excerptorum Parisinorum codice et libro G, quem ex illo aut ex alio excerptorum codice cum hoc ex eodem fonte ducto id sumpsisse credo. Ceteri codices tradunt „fuco", quod non recte ab editoribus contemni mihi videtur.

Versus I, 9, 33 et 34

Non tibi si pretium Campania terra daretur,
non tibi si Bacchi cura, Falernus ager

sic accipio ut „Campania terra" significet praedium Campanum. Nam si aliter iudicamus, deest gradatio qua ad rectum sententiarum progressum carere non possumus. Si enim Campania terra significaret totam Campaniam, cuius pars est ager Falernus, ridicule poeta a maioribus ad minora descenderet. Sin autem facere non possemus quin alteram explicationem sequeremur, haec quoque fortasse tolerari ita posset ut poetam imprudentem in hanc rem incidisse statueremus, quod ei accidere fortasse poterat. Nullo autem modo ferri potest quod G eumque secutus Baehrensius exhibet:

Non tibi si pretium Campania tota daretur,
non tibi si Bacchi cura, Falernus ager.

Sic enim ipse poeta quasi digito demonstraret quo vitio oratio sua laboraret. Itaque mihi quidem certum videtur esse hoc „tota", nisi mero scripturae mendo ortum est, inepta interpolatione repositum esse ut quae poeta simpliciter profert maiore cum vi dicantur.

I, 9, 53 G solus verborum collocationem nullo sensus discrimine immutavit. Quanta autem fides in talibus huic libro tribuenda sit, supra ex iis locis quibus Cuiaciani testimonio uti licet vidimus.

I, 9, 68 utrum cum G „et" an cum ceteris libris „aut" scribamus nihil interest.

I, 10, 5 G solus habet „at nihil ille miser meruit", ceteri libri certe non minus bene „an nihil ille miser meruit?", quod etiam interpolationi quae in excerptis Parisinis occurrit „forsan et ille nihil meruit" subesse videtur.

Versu I, 10, 26 qui in G sic legitur:

Hostiaque e plena mystica porcus hara

„mystica" non magis ferri potest quam quod Baehrensius coniecit, „myrtea". Etiamsi enim verum est porcos Cereri immolari solitos esse, tamen talibus adiectivis boni poetae non utuntur nisi aut ad ipsam rem de qua agitur aliquid afferunt aut ad substantivi cui apponuntur naturam significandam in primis idonea sunt. Videtur autem mihi illud „mystica" mero errore ex „rustica" ortum esse, quod prorsus apte hostiam exigui pretii, qualis hominem rusticum decet, significat. Tamen de hoc verbo dubitari potest, quia hic locus graviores difficultates praebet. Illud autem certum esse mihi videtur, si re vera poeta hoc versus loco adiectivum posuit, nihil maiore cum probabilitate quam illud „rustica" in textum recipi posse.

I, 10, 46 G et excerpta Parisina cum Lachmanni codice B habent:

Duxit araturos sub iuga panda boves,

quod Baehrensius recepit, quamquam in libro suo „curva", quod est in ceteris libris, Tibullianae simplicitati magis aptum esse iudicaverat. Licet igitur hoc ipsius Baehrensii iudicio fortasse recto uti, sed talibus iudiciis non multum tribuo, neque deerunt qui contrario modo ratiocinentur. Maioris momenti est quod adiectivum quod est „pandus" non invenitur in Tibulli carminibus, saepius occurrit apud Ovidium, qua de re monuit Rossbergius; qui illud etiam addere poterat, semel (am. I, 13, 16) Ovidium eodem versus exitu „sub iuga panda boves" usum esse. Sed ne ex hac quidem re certum iudicium fieri potest.

De versu II, 1, 29 quid sentiam iam supra (pag. 76) dixi.

II, 1, 76 „tenebris" non minus aptum est quam I, 2, 25 et I, 6, 59, ubi Baehrensius quoque id retinuit. Hic autem

e libro G „in tenebris“ recepit, quod videtur mera interpolatione ortum esse.

Versus II, 2, 21 et 22 ex parte quidem recte tractati sunt a Baehrensio („Tibullische Blätter“ pag. 88). Lachmannus hunc locum ita exhibet:

Hic veniat natalis avis prolemque ministret,
ludat et ante tuos turba novella pedes.

Codices autem quamquam in singulis erraverunt, tamen hunc locum ita ut scriptus est apud Lachmannum in archetypo fuisse veri simile est. In hac autem scriptura offensionem aliquam inesse recte sensisse mihi videtur Baehrensius, quamquam argumenta quae ille attulit nihili videntur aestimanda esse. Dicit enim: „Das Lächerliche liegt vielmehr in „prolemque“, derweilen man bei dem, welchem man baldige Enkel wünscht, Nachkommenschaft als schon vorhanden voraussezt.“ Sed hoc argumentum ob eam rem prorsus reiciendum est, quoniam Tibullus se Cornuto „baldige Enkel“ optare numquam dixit; immo illo „hic veniat natalis avis“ mihi quidem videntur tempora longe remota significari. Neque maioris momenti sunt alia duo argumenta a Baehrensio allata, e quibus ille prolem Cornuto iam tum fuisse effecit. Tamen iure in illo „prolemque“ offendisse videtur. Si enim a deo natali petitur ut veniat et prolem ministret, hoc mihi aliter non posse accipi videtur nisi ita ut primum veniat et deinde prolem ministret, quod sane de avis ineptum est. Baehrensius autem difficultatem quam sensit ita removit ut coniceret:

Hic veniat Natalis avis, prole*s*que ministret
ludat *ut* ante tuos turba novella pedes,

quibus in versibus „ministret“ pro „efficiat“ accipiendum est. Sed equidem num id fieri potuerit dubito; etiamsi autem fieri possit, tamen ita pulchre hic id fieri nemo, ut puto, iudicabit, neque oritur apta et poeta digna sententia, quia id quod his verbis continetur multo melius uno illo verbo „avis“ dictum est. Mihi autem aptus sensus videtur ita effici posse ut cum Baehrensio „proles“ pro „prolem“ reponamus, „et“ autem retineamus:

Hic veniat natalis avis, prolesque ministret,
ludat et ante tuos turba novella pedes.

Sic ministrandi verbum intellegendum est de rebus sacris quae fieri solent hoc die quaeque initio huius ipsius carminis a poeta commemorantur. Sic autem pulcherrima

vitae familiaris imago oriri mihi videtur. Patris familiae die natali, quo tota familia convenit, filii eum iuvant in rebus sacris, nepotes ludunt ante eius pedes. Prorsus autem diversum sensum ingeniosa coniectura, quam plerique secuti sunt, in hunc locum intulit Heinsius, qui ita scribendum esse censet:

Hac venias, Natalis, avi prolemque ministres,
ludat et ante tuos turba novella pedes.

Hanc coniecturam quamquam valde mihi placere eorumque quae contra eam prolata sunt pleraque pro nihilo habenda esse mihi videri confiteor, tamen veram eam non puto, primum quia verbo „avis“ hoc loco verum augurium non significatur, deinde, quia et „hic“ et „avis“ ita sunt apta ut casu ea verba orta esse veri simile non sit. Sententiam autem ex qua haec coniectura profecta est ex parte in editione secutus est Baehrensius, sed ita ut eam, ut mihi quidem videtur, prorsus depravaret. Ille enim hoc distichon ita exhibet:

Haec veniat genialis avis; prolesque ministret,
ludat ut ante tuos turba novella pedes.

Sed haec coniectura, ut omittam mutationem illam qua „genialis“ e „natalis“ efficitur non ita probabilem esse neque ea re probabiliorem fieri quod IV, 9, 3 Itali „genialis“ pro „natalis“ reposuerunt, ut verbi in antecedenti versu positi repetitionem effugerent, ut hoc igitur omittam, primum eo nomine mihi displicet quod valde dubito num dicere liceat „haec veniat avis“ pro „hoc veniat auspicium“; nam „hac avi aliquid veniat“ diversum est, quia ablativus in sollemnem formulam abiit. Deinde quid illud „genialis“ significet, ex Baehrensii quidem sententia intellegi omnino non potest; posset fortasse intellegi, si Cornuto non iam proles esset. Sed hic quoque Baehrensius Guelferbytani sui auctoritati melius quam loci sententiae consuluisse videtur; numquam enim eum hanc coniecturam prolaturum fuisse mihi persuasum est, nisi hic codex pro „hic“ coniectura aut errore „haec“ praeberet.

Magis fortasse alicui blandiri potest alia libri G scriptura a Baehrensio recepta. Versum II, 3, 3 ceteri boni libri sic scribunt:

Ipsa Venus latos iam nunc migravit in agros,

G autem pro „latos“ „laetos“ habet, quod iam ante inventum G notum erat et Italorum coniectura esse putabatur,

neque equidem nunc aliter iudico. Tamen multis illud
„laetus“ placuit. Hic quoque ut saepius multo facilius quid
verum esset inveniri posset, nisi careremus adhuc bono in
Tibullum commentario, qui id praestaret quod ei praestan-
dum esse Lachmannus vidit. Si enim Dissenus universam
carminis sententiam illustrare quam longis de compositionis
pulchritudine disputationibus, ut solet, taedium legentium
movere maluisset, hoc versu ut per totum carmen facilius
et rectius ab omnibus iudicari posset. Tamen facile perspici
poterat huius carminis naturam prorsus diversam esse a ce-
teris praeter sequentem elegiam, quod maxime sentitur in
poetae de vita rustica iudicio. Cum enim eam saepius
commemoret semperque ita ut summis laudibus eam extol-
lat, hic eam detestatur itaque loquitur quasi numquam ani-
mum inducturus esset rure degere, nisi Nemesis eo abducta
esset. Facilius hoc fortasse sentietur si quis v. 65 ff. cum
iis quae de Delia se sperasse I, 5, 19 ff. poeta praedicat compa-
raverit, sed clarissime apparet ex totius carminis colore.
Neque talibus offendi debemus, cum praesertim hic quidem
qua causa poeta ductus sit appareat. Cum enim dives
amator Nemesim rus abduxerit, Tibullus ut solent poetae
Romani ut omnes fervidioris animi homines facere, non
modo in illum amatorem sed in ipsam vitam rusticam in-
vehitur. Quaeri tamen potest num sola hac causa ea res
explicanda sit, neque inepte videtur mihi e versu 70:

Quid nocuit sulcos non habuisse satos?

conici posse ne ipsum quidem Tibullum tum temporis sulcos
satos i. e. praedium quod ante eius fuerat, iam habuisse.[1])
Sed utut haec se habent, hoc mihi constare videtur, argu-
mentum totius carminis versari in detestatione rivalis, qui
Nemesim rus abduxerat, et ruris, quo eam abduxerat. Hoc
autem si verum est, iam apparet quam non apte Tibullus
initio carminis de laetis agris loqueretur. Respiciendum
autem est etiam illud „heu heu“ in versu antecedente, quod
nihil aliud significare potest nisi dolorem ea re excitatum
quod urbem relinquere coactus est, ut dominam sequatur.
Cum hac sane lamentatione non bene consentit epitheton

[1]) Hoc quoque mihi recte sentiri posse videtur, Tibullum sua sorte cum hoc carmen conscriberet longe minus contentum fuisse quam antea. Animi enim illa hilaritate Tibulli propria, quae ne in iis quidem carminibus quae infelicem amorem tractant desiderari solet, nulla elegia magis quam haec carere videtur. Sed hoc persequi longioris disputationis est.

illud quod est „laetus“, neque melius cum versu 65, ubi iidem agri tristes apellantur. Haec mihi videtur esse dissensio quam ne ii quidem ferre possunt qui non prorsus expolitum esse hoc carmen a poeta putant. Agitur enim hic de ea re in qua totius carminis argumentum versatur, de qua Tibullus, nisi ineptus erat poeta, sive ad finem perduxit hoc carmen sive imperfectum reliquit, non poterat initio elegiae aliter quam in fine iudicare, nisi id ipsum, sententiam suam mutatam esse, significare voluit. Ac ne illud quidem opponi potest, esse hoc „laetus“ epitheton ornans, nulla propria vi dictum. Nam quamquam non probo Disseni iudicium, qui talibus epithetis usos esse poetas elegiacos omnino negat, tamen his quoque epithetis est suus color, neque licet iis uti nisi ita ut cum affectu quo poeta illo loco maxime movetur congruant. Quanto autem aptius est illud „latus“ a ceteris libris traditum, quod mihi nullam offensionem praebere videtur. Hoc enim adiectivo poetam eo sensu uti potuisse quo vulgo „vastus“ aut „desertus“ dicitur nescio cur quis in dubium vocet.

Non tam diu moratus essem in levi hac discrepantia, nisi ad totum carmen recte accipiendum aliquid afferre posse mihi visus essem. Breviori mihi esse licet de sequenti exemplo, quod in eiusdem carminis versu 8 occurrit. Ibi enim ne dubitari quidem videtur mihi posse quin perverse Baehrensius e libro G hunc versum sic scripserit:

Dum subigunt steriles arva colenda boves.

Hoc enim ita dictum est quasi arva prius bubus subigantur et deinde colantur, cum tamen illud „subigere“ re vera partem culturae efficiat. Hunc certe locum qui non praeoccupata mente legat, neminem puto non iudicaturum esse multo aptius esse quod ceteri libri praebent, „arva serenda“, interpolationem autem in G ita ortam esse ut librarius rariore verbi serendi usu, quo illi obiecti loco terra additur in quam semen spargitur, offenderetur, qui tamen usus cum aliis locis tum in huius carminis versu 70 occurrit.

II, 3, 27 utrum „Python“ cum G an „Pytho“ scribamus nihil interest; utraque enim forma Graeci poetae usi sunt.

De versu II, 3, 36, ubi G cum excerptis Parisinis „adoperta“ tradit, iam supra (pag. 32) disputavi. De sequente quoque exemplo II, 4, 43 iam mihi dictum est (pag. 61).

II, 5, 18 dubitari potest inter „quae canit illa doce“, „quid canat illa doce“, „quod canat illa doce“, „quae canat

illa doce". Primum si probamus docetur Messalinus, tertium aut quartum si recipimus, Sibylla, secundum illud utroque modo accipi potest. Lachmannus „quod canat" recepit, quod codicum auctoritate maxime firmari putabat, ut mihi videtur non tam quia verum id esse existimaret sed ut suo more certo quid hoc loco scribendum esset diiudicari non posse significaret. Cum autem hunc locum de Messalino aptius quam de Sibylla accipi ex antecedente versu appareat, recte mihi videtur Hauptius „quid canat" recepisse. Baehrensius autem, cum inter multa ei optio data esset quae dici saltem poterant, id ipsum elegit quod solum fere dici non posse mihi videtur. Reposuit enim librum G ex parte secutus „quod canit", quod mihi quoniam Sibylla sine dubio plus uno vaticinio cecinerat, per sermonis leges ne licuisse quidem Tibullo dicere videtur.

Versus II, 5, 31 et 32

Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo:
nam calamus cera iungitur usque minor.

melius fortasse a poeta omissi essent. Describitur enim fistulae ratio, quae nota erat, idque ita ut pentameter ad hexametri sententiam nihil fere novi afferat. Sed hoc vitium non tollitur si cum Guelferbytano „et" pro „nam" scribimus, quod Baehrensius fecit. Illo „nam" enim constat Tibullum saepius ita uti ut non causam afferat sed quod ante dixit paulo fusius explicet, cuius usus luculentissimum fortasse exemplum exstat I, 4, 38; quo loco cum multi offensi essent, Baehrensius tamen nihil mutavit.

II, 5, 82 per se non contemnenda esse mihi videtur Guelferbytani scriptura a Baehrensio recepta. Hunc enim versum ille sic scribit:

Omine quo felix et sacer annus eat,

cum ceteri pro „eat" exhibeant „erit". Tamen monendum est hic quoque paulo saltem magis futurum placere, quod iam Broukhusio visum est, „eat" autem, nisi mero errore, quod fieri facillime poterat, ortum est, sumptum esse posse e simili Ovidii loco, qui est in fastorum libro primo, v. 26, cuius rei duo exempla iam vidimus.

Contra II, 5, 99, quamvis levis sit discrepantia quae inter G ceterosque libros intercedit, tamen quo Baehrensius nimia illius codicis aestimatione abreptus sit optime licet perspicere. Poeta enim rusticorum diem festum inde a versu 95 sic describit:

Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
arboris antiquae qua levis umbra cadit,
aut e veste sua tendent umbracula sertis
vincta, coronatus stabit et ante calix.
At sibi quisque dapes et festas exstruet alte
caespitibus mensas caespitibusque torum.

Fingit igitur poeta pubem discumbentem aut sub arborum umbra aut sub tentoriis, quod ita fit ut caespitibus mensas torosque exstruant. Sic sunt omnia perspicua. Iam autem cum Baehrensio eiusque G reponas versu 99 „aut" pro „at", et omnia iam turbata sunt. Tertium enim illud tantum abest ut duas antecedentes actiones excludat ut contra ad earum utramque referendum sit.

II, 5, 103 G „iam", ceteri libri „nam" praebent, quorum utrumque ferri potest, quamquam hic quoque „nam" paulo magis mihi quidem placet.

Versus II, 6, 8 valde vexavit editores. Atque Baehrensius quidem e G recepit:

Ipse levi galea qui sibi portet aquam,

quod confiteor me non intellegere. Nam quamquam certae galeae leves dici poterant, tamen cur hic leves esse galeae in universum dicantur non apparet. Atque equidem non dubito quin verum sit quod in ceteris libris scriptum est:

Ipse lev*em* galea qui sibi portet aquam,

quamquam id vulgo non recte explicatur. Videtur enim „levis" perpetuum aquae epitheton esse, quo id significatur quod non consistit sed facile movetur, quo sensu loco supra laudato (II, 5, 96) „levis umbra" dicitur. De ipsis undis eodem epitheto eadem sententia utitur Ovidius, ars am. I, 761, adiectivo „facilis", quod ab altero non multum discrepat, Lygdamus III, 5, 30, Propertius I, 11, 12 multaque alia exempla afferri posse puto. Sane his adiectivis plerumque utuntur poetae de fluminum, lacuum, maris aqua, sed nullam aliam ob causam nisi quod de eorum aqua plerumque agitur; per se nihil obstat quo minus eodem modo de aqua in galea portata, quae non modo vento sed etiam portando movetur, loqui liceat.

De versibus III, 1, 9 ff. nolo uberius disputare, quia et ea huius loci forma quam Lachmanni editio praebet et ea quam Baehrensius commentus est rectum sensum praebere mihi videntur. Utraque autem forma emendatione effecta est, Lachmanni una paulo graviore, Baehrensii duabus

levioribus. Utrum veri similius sit diiudicari non potest nisi prius constat utrum a G libri scriptura „pumex et“ an ex eo quod ceteri libri praebent, „pumicet“, in hoc loco emendando proficiscendum sit.

III, 1, 20 Lygdamus non ita bene tres amoris gradus discernit:

Illa mihi referet, si nostri mutua cura est
an minor, an toto pectore deciderim,

quod tamen sensum qualemcumque praebet. Non autem illud dici potest de libri G scriptura a Baehrensio recepta, „an maneam“ pro „an minor“, quae mihi ea re videtur orta esse quod librarius, cum illud „si“ pro condicionali particula acciperet, locum non intellexit.

III, 2, 27

Sed tristem mortis demonstret litera causam
atque haec in celebri carmina fronte notet:
„Lygdamus hic situs est: dolor huic et cura Neaerae,
coniugis ereptae, causa perire fuit.“

Haec optime inter se cohaerent. Tamen Baehrensius miram libri G scripturam, „casum“ pro „causam“ recepit, qua re textum mirum quantum depravasse mihi videtur. Tristis enim mortis casus nihil aliud esse potest quam quod nos quoque dicimus „der traurige Todesfall“. Lygdamum autem adeo ineptum fuisse ut optare se ut in sepulcro suo mortuum se esse inscriberetur expressis verbis diceret credi non potest, neque cum tali sententia congruit ipsa inscriptio apposita, qua primo versu nihil aliud nisi „causam“ scribi posse aperte demonstratur. Alia quoque discrepantia quae in his versibus occurrit disputatione digna est. Pro „cura“ enim, quod verum esse dubitari non potest, boni codices habent „causa“, ut videtur mero librarii errore, cum bis praeterea in his versibus hoc verbum occurrat, G solus „cara“, quod cum ad verum propius accedat, potest fortasse leviter hunc locum inspicienti hic quidem videri G libro maior fides esse tribuenda. Sed accurate examinata huius loci ratione plane contrarium evadit. Animadvertendum enim est in omnibus libris non „Neaerae“ sed „Neaera“ scriptum esse. Si autem re vera discrepantes illae huius loci scripturae ita ortae essent ut „cura Neaerae“ primum depravaretur in „cara Neaera“, intellegi non posset qua re aliquis adduci potuisset ut ex eo „causa Neaera“, quod nihil est, efficeret. Contra aliter si iudicamus, facile intellegitur qui fieri potuerit ut

„cura Neaerae“ primum eo quo dixi modo corrumperetur in „causa Neaerae“, mox in „causa Neaera“, quod cum nullum omnino sensum praeberet, librarius „cara Neaera“ coniectura posuit. Itaque hunc locum certum interpolationis in G admissae exemplum esse puto.

III, 3, 29 utrum recte Baehrensius e G et excerptis Parisinis receperit „non me regna iuvant“ pro „nec me regna iuvant“ diiudicari nequit.

De versu III, 4, 9 recte Lachmannum iudicasse supra (pag. 64 f.) dixi. Aliter sensit Baehrensius, qui, cum G exhiberet „vanum ventura“, hic quoque eum maxime secutus in textu posuit:

Et vanum eventura hominum genus omina noctis
farre pio placant et saliente sale?

Quod equidem confiteor me non intellegere. Si enim inter se coniungimus „vanum hominum genus“, omina dicuntur eventura, plane contra poetae sententiam. Fortasse igitur Baehrensius voluit coniungere inter se „omina vanum eventura“ pro ominibus quae non eveniunt. Sed ne hoc quidem quo modo dici potuerit intellego.

Sequitur locus difficillimus, III, 4, 64, de quo equidem ab omnibus editoribus dissentio. Illum enim versum omnes sic exhibent:

Tu modo cum multa bracchia tende prece,

nec minus III, 6, 46, qui locus cum hoc coniungendus est, omnes scribunt:

Aut fallat blanda sordida lingua prece.

Tamen utroque loco boni, qui mihi quidem videntur, testes non tradunt „prece“ sed „fide“. Illud enim altero loco e libro G et Puccio, altero e G et excerptis Parisinis traditur. Si igitur recte fecissent editores, statuendum esset bis in paucis his carminibus „prece“, quod prorsus nullam difficultatem movet, in archetypo miro errore abiisse in „fide“, cum tamen hoc et ad intellegendum difficilius sit et literarum similitudo prorsus sit nulla. Hoc equidem adeo non probabile puto ut quaestione dignum esse mihi videatur num tamen scriptura vere tradita defendi possit. Atqui fidei verbum non solum de certa morum qualitate dicitur, sed significat etiam fidem datam, promissum. Hunc autem sensum si illis quoque locis verbo inesse, eorum priore autem poetam singulari numero sensu collectivo usum esse ponimus, illud verbum altero loco lectione vulgo recepta

non deterius est, altero sententiarum connexu et Ovidii illorum versuum imitatione (ars am. III, 441 ff.) etiam prae illa commendari mihi videtur. Non autem nescius sum hac sententia admodum gravem difficultatem moveri. Omnibus enim, quantum scio, locis quibus „fides" idem valet quod „promissum", hoc ita fit ut ex verbo addito quo modo substantivum accipiendum sit appareat, velut dicitur „fidem dare, supponere, obstringere, praestare" et similia. Neque parvi hanc difficultatem aestimo; tamen tenendum est utrumque locum exstare in Lygdami versibus, quem in non nullis a ceterorum eius aetatis poetarum usu recedere diu est quod observarunt viri docti. Deinde quamquam non solebant sic loqui poetae Romani, tamen hoc ne cogitari quidem posse nemo contendet. Utique veri similiorem hanc sententiam duco quam bis in eodem scriptore verbum prorsus perspicuum gravissimo errore ita depravatum esse ut difficultas aliqua ultro inferretur. Addo in similem sententiam incidisse videri Lachmannum, qui ad versum 4, 64 adnotat: Prece P, fide A B C, conf. 3, 6, 46, Propert. I, 18, 18. Videtur autem mihi Propertii versum

Et non ulla meo clamat in ore fides

ita intellexisse ut „ore" non pro facie sed propria significatione, „fide" autem eo de quo dixi sensu acciperet. Qua in re quamquam errasse eum puto, tamen hoc mihi videtur ex illa adnotatione apparere, eum „fide" utroque loco in textu positurum fuisse nisi Puccii adnotationibus plus quam debebat tribuisset.

Versus III, 4, 82 recte, ut mihi videtur, vulgo sic scribitur:

Ah ego ne possim tanta videre mala!

„Utinam ne mihi accidat ut tanta mala videre possim." Tamen Baehrensius, G secutus, „non possum" scripsit, quod ante eum iam Scaliger fecerat, miro, ut mihi quidem videtur, iudicio. Indicativum enim si scribimus, nemo illud „tanta mala" non potest non referre ad imaginem Apollinis, quam in antecedentibus poeta depinxerat. Ea enim mala quae re vera Lygdamus significat nondum viderat, sed eum illa visurum esse Apollo vaticinatus erat. Ceterum totus versus videtur inepta imitatio esse loci Tibulliani II, 4, 7 ff., quem Lygdamus perperam ita intellexit ut primi horum versuum sententiam per se stare putaret.

III, 5, 11 „sacrilegi" mihi magis placet quam „sacrilegos", quod Baehrensius e G recepit, etsi fortasse hoc quoque ferri posset. Illud autem certum esse mihi videtur, verum esse „sacrilegi", quod cum in archetypo ob sequens „templis" in dativum depravatum esset, in non nullis libris, ut sana sententia oreretur, accusativus restitutus est.

III, 6, 2 cum ceteri boni libri habeant:

Semper sic hedera tempora vincta feras,

G exhibet „geras", quod sane de hac re usitatius est, Tamen alterum quoque ferri posse certissime apparet e versu II, 3, 60,

quem saepe coegit,
barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Itaque illud sine dubitatione praeferemus quod quamquam dici poterat tamen a vulgari dicendi more recedit ob eamque rem facile poterat depravari.

IV, 1, 27 et „ne tanto careat mihi nomine charta" et „nec tanto" e. q. s. aeque bene ferri potest. Posterius tamen, quod in secunda codicum classe et in libro G traditur, reiciendum esse, quia minore auctoritate nititur, supra (pag. 48) dixi.

IV, 1, 33 „ac" apertum est mera interpolatione pro „at" repositum esse, cum librario Tibulli ille usus quem saepius commemoravi notus non esset.

Versum IV, 1, 112b G habet ille quidem, sed ea forma quam libri interpolati et veteres editiones praebent. Antiquam eius formam exstare in Lachmanni libro A et Baehrensii codicibus Ambr et V supra dixi (pag. 57 f.).

IV, 7, 1 et „pudori" et „pudore" per sermonis leges ferri possunt. Multo tamen magis placet dativus, quo pulchra oritur oppositio inter pudorem, qui ab ipso homine e suis factis sentitur, et famam, quae est apud multitudinem. G hic quoque secundam classem secutus ablativum praebet, quem recepit Baehrensius.

IV, 8, 6 Lachmanni codices A et C scribunt:

Non tempestivae saepe propinque viae,

secunda classis „neu" pro „non", cum eaque facit G. Quod est in libris A et C sane sensum aliquem praebet, idque simpliciter receptum est ab Hauptio, Muellero, Vahleno. Tamen de illius scripturae veritate dubito. Ungeri[1]) enim coniecturae, qui „saeve propinque" scribendum esse, geni-

[1]) De C. Valgii Rufi poematis pag. 471.

tivum autem e verbo quiescendi in versu quinto posito pendere putavit, illud certe favere videtur quod via illa non tempestiva vix potest aliter intellegi quam de itinere quod Sulpiciae invitae faciendum est. Tamen num sic ut Ungerus putat Sulpiciae loqui licuerit valde dubito. Cum igitur vera huius loci forma mihi, ut Baehrensio quoque[1]), incerta videatur esse, utra codicum scriptura ad verum propius accedat in obscuro relinquendum est.

Ultimum eiusdem carminis distichon:

Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
arbitrio quamvis non sinis esse meo,

sic ab Hauptio primo scriptum est, praeclara, ut mihi quidem videtur sententia: „Me licet abducas; animum sensusque meos impedire me non potes quo minus hic relinquam; non enim sunt tui iuris“. Id ipsum autem etiam codicum auctoritate nititur. Solus Guelferbytanus cum eoque Puccius exhibent „arbitrio quoniam non sinis esse meo“, quod mihi prae altera illa scriptura valde languere multoque minus cum Sulpiciae ingenio et huius carminis colore consentire videtur. Tamen Lachmannus hic Puccium secutus eius lectionem inde a Broukhusio vulgatam retinuit, ut mihi videtur, non quod quantum altera scriptura praestaret eum fugeret, sed partim Puccii quam putabat auctoritate ductus, maxime autem, ut puto, quia haec carmina a Tibullo non esse profecta tum temporis nondum persuasum habebat, Tibullus autem „quamvis“ non coniungit cum indicativo, quod facit Lygdamus.[2]) Quae cum ita sint, valde miror codicum lectionem, quae mihi adeo praeclara videtur esse ut eius praestantiam potuisse quemquam fugere vix credas, spretam esse a Muellero, quamquam ille Puccio nihil tribuit; minus miror Baehrensium hic quoque Guelferbytani auctoritati omnia posthabuisse.

Tres qui restant locos iam supra tractavi, IV, 11, 4 pag. 44 f., IV, 13, 3 et IV, 13, 15 pag. 48. Nullo autem horum locorum pro certo id quod G exhibet verum esse constare mihi videtur.

Satis perspicue iam ex omnium horum locorum contemplatione apparere mihi videtur codicem G a librario

[1]) Ipsius Baehrensii coniecturam ab eo dubitanter in adnotatione propositam „quiescas ceu tempestivae, saeve propinque, viae“ praetereo quia quid ille voluerit non intellego.

[2]) Cfr. Lachmanni adnotationem ad III, 1, 1.

aliquo non indocto ita scriptum esse ut obiter inspicienti plerumque offensionem non praebeat; non nulla in eo esse recte emendata, quae tamen aut omnia aut maximam partem ex aliis codicibus videntur sumpta esse; ea denique quae huius codicis propria sunt plerumque apertissima interpolationis signa prae se ferre. Est igitur hic liber, ut plane sententiam meam proferam, unus e deterrimis, ea sola re a ceteris libris interpolatis discrepans quod in eo maiore etiam libidine, fortasse etiam feliciore successu poetae verba immutatae sunt. Quae autem de secunda codicum familia hoc solo libro repraesentata investigasse sibi visus est Baehrensius ea prorsus nihili facienda sunt.

Quoniam ad finem quaestionis perventum est, restat iam nunc universae disputationis summam facere. Atque hoc quidem iam constare puto, in Tibulli textu constituendo ab eo fundamento quod Lachmannus iecit non multum recedendum esse. Bonis enim codicibus qui praeterea allati sunt nihil fere novi accessit, sed illud ipsum quod Lachmannus posuerat in summa re certius confirmatum est. Si autem quis eo consilio ut omnia colligat quibus ad veram archetypi scripturam accurate perspiciendam opus sit, novum in Tibullum apparatum criticum componere velit, hoc ita ei instituendum esse mihi videtur ut tres illas codicum classes a Lachmanno positas retineat. B autem iam non unum codicem sed unius classis lectiones e trium librorum comparatione cognitas significabit. Primae autem classis lectiones ita optime tradentur ut accurate denuo inspecta Heinsii collatione quas codicis A lectiones Heinsius expressis verbis afferat, quaeque earum non constent nisi ex Heinsii silentio signo aliquo indicetur. Praeter codices utendum est certissimo testimonio fragmenti Cuiaciani, paulo minor, tamen ipsa quoque magna fides tribuenda est excerptis Frisingensibus, ac ne Parisinis quidem excerptis, quamquam summa cum cautione iis uti debemus, fides est abroganda. Prorsus autem spernenda sunt Italorum commenta, quae cum ne Lachmannus quidem plane e suo apparatu removisset, sed tamen tam caute iis usus esset ut nullum fere vitium ex ea re in illius textum redundaret, novissimus editor quique ei crediderunt prorsus iis decepti sunt.

VITA.

Natus sum Maximilianus Rothstein die VI. mensis Februarii anni 1859 patre Iulio, matre Fanny e gente Frank, quibus superstitibus maxime gaudeo. Fidem profiteor iudaicam. Literarum elementis imbutus inde ab autumno anni 1868 usque ad autumnum anni 1875 Gymnasium Berolinense Leucophaeum frequentavi, quod eo tempore Bonitzio directore florebat. Atque huius viri ceterorumque qui in superioribus gymnasii classibus praeceptores mei erant institutione maxime factum est ut Graecorum et Romanorum literis et institutis cognoscendis in primis operam dare constituerem. Maturitatis testimonium adeptus primum per sex menses Berolini variarum disciplinarum scholis interfui; sed mox angustioribus finibus studia circumscribenda esse intellexi. Hoc consilio Heidelbergae, quo deinde me transtuli, per sex menses audivi Fischerum, Gelzerum, Köchlyum, Ribbeckium, Starkium; Berolinum reversus per septies sex menses Curtium, Huebnerum, Kirchhoffium, Mommsenum, Muellenhoffium, Nitzschium, Robertum, Schererum, Vahlenum, Zellerum. Nec minorem quam ex horum virorum scholis fructum ex ea re percepi quod non modo per ter sex menses seminarii philologici sodalis ordinarius fui sed etiam interfui exercitationibus Kirchhoffii, Muellenhoffii, Vahleni, Zelleri. Omnibus his viris, maxime iis qui ad exercitationes suas aditum mihi benigne permiserunt, gratias ago quas debeo.

Sententiae controversae.

I. Thuc. II, 39, 4 optativum *ἐθέλοιμεν*, quem codices et Dionysius Halicarnassensis tradunt, servandum esse puto.

II. Thuc. II, 41, 4 videtur scribendum esse *τῶν δὲ ἔργων τὴν ἀλήθειαν ἡ ὑπόνοια βλάψει* (codd. *τὴν ὑπόνοιαν ἡ ἀλήθεια*).

III. Thuc. V, 80, 2 verba *ἦν δὲ καὶ αὐτὸς τὸ ἀρχαῖον ἐξ Ἄργους* nego ab ipso scriptore profecta esse.

IV. Thuc. VIII, 75, 1 scribendum esse puto *καὶ ἐπὶ τῶν Σαμίων τοὺς μετασχόντας* (codd. *τῶν ἄλλων*).

V. Tac. Hist. IV, 11 conicio: „Alfenus Varus ignavia infamiaque sua superfuit“ pro „ignaviae infamiaeque suae“.


VI. Hor. Sat. I, 2, 73 ff. poetam scripsisse contendo

At quanto meliora monet pugnantiaque istis
dives opes natura suas tu si modo recte
dispensare velis e. q. s.

Similiter fortasse apud Catullum LXIIII, 323 conicere licet

O decus eximium, magnis virtutibus augens,
Emathiae tutamen, opes.

VII. Cat. LVII, 3 scribendum est „maculae pares utrique“ (codd. utrisque).


COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
1010691340

